3

JOANNIS FRIDERICI MECKEL

TRACTATUS

DE

MORBO HERNIOSO CONGENITO

SINGULARI & COMPLICATO

FELICITER CURATO.

BEROLINI,
Proſtat apud FRIDERICUM NICOLAI,
MDCCLXXII.

VIRO
LITERIS DOCTRINAQUE
PRAESTANTISSIMO
JOANNI GEORGIO
ZIMMERMANNO
ARCHIATRO REGIO BRITANNICO
PRIMARIO
LONGE CELEBERRIMO
MEDICO SAPIENTI, ERUDITO AC FELICI
ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM BEROLINENSIS
AC SOCIETATIS REGIAE GÖTTINGENSIS
MEMBRO
DIGNISSIMO
PAGELLAS HASCE, MORBI GRAVISSIMI IN ILLO IPSO DEO ADIUVANTE FELICISSIME CURATI DESCRIPTIONEM FIDELEM CONTINENTES
CUM VOTO OMNIGENAE PROSPERITATIS
AC SANITATIS LONGAEVAE
SACRAS VULT ATQUE DEDICAT

JOANNES FRIDERICUS MECKEL.

Dulciſſime Amice!

Multa nobis in vita communia fuerunt, & grata & ingrata. Eodem, quod gratiſſimi & laetiſſimi recordamur, & nepotes noſtri gaudebunt, Praeceptore Illuſtri ac Venerando nobis HALLERO vſi ſumus. Eadem nos Muſarum ſedes Laurea Apollinea coronavit. Idem nobis, & id iucundum equidem ac vtile in Helvetico itinere

conſortium. Idem Studiorum amor. Idem fortuae alternans favor & adverſitas nobis fuit. Eadem invidioſorum perſecutio nos interdum proſtravit; aſt eadem nos etiam in adverſis ſacra ancora, DEUS & bona conſcientia ſuſtinuit, itidemque nos ſupra invidiam Virorum Digniſſimorum benevolentia ac amicitia poſuit.

Quidni ergo nobis non id ſit commune vinculum, in adverſis rebus atque calamitatibus in nos invicem ſolatium & auxilium? Quam dulce! me in his Tuis inſervire

ſervire potuiſſe commodis, atque cum familia mea, Te mecum peramante, pro viribus noſtris Tibi profuiſſe. Accipias bono, & animo, quem DEUS Tibi dedit, amico, debilem quamvis, ſinceram tamen amicitiam noſtram. Noſtra nunc reliquiſti tuguria, privamur, proh dolor, Tuo nobis tam caro amicoque conſortio, Tuis colloquiis! — — —

Fruere ergo abſens ſanitate Tua, nunc iterum quae DEI eſt gratia perfecta, ad Neſtoreos vsque annos, in Tuam ipſius felicitatem, aliorum

vero commoda ac vitae ſanitatisque conſervationem. Sed me meosque redamare, ne deſines, neque obliviſcere exoſculationes amici toto corde Tibi aeternum addictiſſimi

Dabam Berolini
Pridie Calendarum Martii
MDCCLXXII.

Joannis Friderici Meckel.

Morbi hernioſi, ſingularis ac complicati, feliciter curati, deſcriptio.

§. 1.

Quem dolui caſum Celeberrimi viri, mihi vero aeſtimatiſſimi ac cari amici ZIMMERMANNI, ejus nunc fortunatum exitum, juſſui ac votis Archiatri hujus Regii obtemperaturus, hiſce pagellis laetus referre, meum eſſe duxi, ne dubitantes, aliterque antea ſentientes, morbi natura ac cura lateat; perfectam vero curationem ac reſtitutionem, ut fautores ac amici ejus mecum laetentur.

§. 2.

Hiſtoriam morbi daturus, ex ipſius aegri litteris amiciſſimis ac ſermone, mali originem ac progreſſus deſcribentibus, pauciſſimis enumerabo verbis, quae phyſicum corporis ejus ſtatum determinant. Ani-

mi enim eximias dotes, toti litterarum orbi cognitas, integritatem vero, probitatem ac ſinceritatem in amicitia ipſa, amicis ſuis eximie probatam, ſi laudibus extollere vellem, vel ipſe videri poſſem dulciſſimi amici amore ineffabili captum me verba facere; vel in elogiis ejus faciendis, laborem ſupra humeros meos poſitum me ſuſcipere, jure accuſarer, cum ſupra laudes iſte meas longe poſitus ſit. Uti vero id fieri plerumque ſolet, ita & ipſi ex animi ſenſilitate, affectiones ac impreſſiones longe fortiores ortae, corporis ipſius ſtructuram varie mutarunt. Nervorum ſyſtema enim hinc magis irritabile redditum, id quod variae vitae diſcrimina ac viciſſitudines, corporis vero valetudo adverſa, ſaepius auxit. Vita dein ſedentaria, utiliſſimorum quamvis generi humano plurium ab Illuſtri Viro ſcriptorum mater, ſanitati tamen magis adhuc

noxia fuit, haemorrhoidibus quippe coecis, plurium ſymptomatum lernae, originem illa dedit, quibus ab anno inde 1764 aeger per vices laboravit atque varia inde incommoda ſenſit. Anno abhinc 1766to menſe Auguſto, iſtud, quo eodem menſe hujus anni 1771, optimus Amicus noſter feliciter curatus eſt, malum, hernia nempe, generari incepit. Occaſionem dedit colica flatulenta, ad mortem aegrum quatuor horas excrucians, adeo vehemens, ut nodi tumoresque inteſtinorum ſentiri ac attactu diſtingui in ſuperficie abdominis potuerint; per annulum vero abdominis ſiniſtri lateris inteſtinum exiit, in ſaccum herniofum congenitum ac ſcrotum deſcendens, ſponte vero, poſt colicam ceſſantem, in abdomen tunc rediens. Huic malo remedium, faſciae utilis ope, tum temporis opponere, neglectum fuit. Hinc hernia omentalis principia ſua ſumſit, gli-

ſcente nempe lubrico omento in ſaccum herniosſum congenitum, unde tumor, tractum funiculi ſpermatici in ſiniſtro latere ſequens, varicocelis ſuſpicionem movit, ab omnibus in conſilium impoſterum vocatis Medicis & Chirurgis conſervatam ac maritatam injuſtam mali ideam. Rediit per vices inteſtini elapſus, & quidem anno 1767 menſe Novembris poſt choleram morbum vehementiſſimum, per duodecim horarum ſpatium durantem, ita tamen, ut ſponte repoſitio in abdomen facta ſit. Ab hoc vero tempore & debilitas ventriculi & ex quacunque leviori cauſſa indigeſtio & ad exitum inteſtini cum omento facilior diſpoſitio remanſit, quae hernia inteſtinalis anno 1768 menſe Auguſto, ut & annis 1769, 1770 & 1771, poſt animi afflictiones omnium maximas, uxoris nempe dilectiſſimae triſtiſſinum morbum mortemque, cum ſummo cruciatu

vitae-

vitaeque periculo inter eundum rediit, ab ipſo quidem aegro mox repoſita, ita tamen, ut omentum cum nodulo ſteatomatoſo extra annulum in ſacco remanſerit, cujus tamen integram in abdomen reductionem, menſe Decembris anni 1769 prima tunc vice cum felici ſucceſſu expertus fuit. Burſali faſcia ad hoc usque tempus aeger ad ſuſtentandum malum, uſus fuerat: repoſito autem nunc integro herniae tumore, faſciis hernialibus malo obviam ire, nunc demum tentavit, optimis quibusvis ejusmodi generis adminiculis in uſum vocatis. Sed, incaſſum, proh dolor, omnis jam labor hicce fuit. Excruciabat aegrum in ipſo malo hernioſo ſingularis & acutus valde dolor. Filamentum nempe in parte poſtica ſacci hernioſi, digito externe circa ſcrotum ſaccumque hernioſum appreſſo, aderat, inſuperabilis doloris cauſſa. Hoc filamen-

 tum

tum tum expulſo in ſaccum herniofum omento cum ſummo aegri cruciatu, & ad lipothymiam usque poſt aliqualem compreſſionem excedente irritatione, tangi poterat; tum id imprimis filamentum, repoſito omento, in ſaccum herniofum delapſo, cauſſa impediens & inſuperabilis fuit, quod nulla faſcia hernialis, applicata annulo ab aegro ferri potuerit. Repoſito enim tumore, & faſcia ejusmodi applicata, poſt compreſſionem aliquot minutorum primorum horae temporis, aeger dolorem, teſticuli quaſi compreſſi in abdomen redeuntem ſenſit, ex hoc dolore, breviſſimo tempore aucto, anxietas, debilitas, ſenſuum alienatio, ac lipothymia, cum pallore faciei, pulſus imminutione, ac ultimo ejusdem defectu, ſudoreque frigido, obortae ſunt, quae itaque dira ſympomata aegrum & reliquos in conſilium vocatos, ab applicatione fa-

ſciae

ſciae hujus deſiſtere coëgerunt. Junxerat ſeſe huic malo ex hernia orto, idemque immenſum auxit, dolorifica ſenſatio in teſticulo dextro menſe Februarii anni 1769 incipiens. Teſticulus hicce volumine multum ſiniſtro auctior evaſerat. Ex hoc tempore teſticulus hic dexter quovis fere die ſpasmodice ſurſum verſus annulum abdominis retrahebatur, cum dolore in ipſo teſticulo immaniter ſaeviente, atque in femur, tibiam ad pedem usque dextrum, ſurſum vero in brachium hujus lateris ſeſe cum debilitate ſumma pedis extendente. Spasmo & tractione hac teſticuli ceſſante, dolor diſparuit, ſed brevi rediit, ad perfectam usque curationem miſere aegrum diſcrucians. Interdum, in latere dextro dolore hoc exiſtente, is in ſiniſtro herniae debilior redditus fuit, & vice verſa in ſiniſtrum latus rediit. Lecto horizontaliter aegro incumbente, dolor per ali-

 quod

quod tempus ceſſavit, rediens dum in erectum ſitum ſeſe reſtituerat. Triſtiſſima ergo haec ſenſatio dolorum, aegrum per plures annos infeliciſſimum reddidit, cum inter negotia idem doloris acutiſſimus & vix tolerabilis ſenſus aegrum miſerrime excruciaret, ac tum ingreſſum, tum inter ſcribendum corporis incurvationem, tum erectum in ſtatione in pedes ſitum, tum in rheda vectionem, impoſſibilem redderet, a negotiis ſuis, ſcriptione nempe ac ſtudiis plurimum temporis deſiſtere aeger involuntarie coactus fuerit, & aegre hinc vitae hujus aerumnoſae dies, immo vix ſine auxilio religionis ac rationis tulerit; labores quippe nullos corporis animique absque ſumma moleſtia agens, ſaepiusque amicorum odia ac exprobrationes immerito ſibi cumulans, alios vero artis medicinae ipſius viros in injuſtam, querulis ſuis litteris ac ſermonibus

bus, opinionem ducens, hypochondriaci mali, diras has ſenſationes, imaginarias productiones, cum varicocele conjunctas, unice eſſe. Non ſine animi inſigni dolore, hujus medelae ſpem perditam ac amicorum odia aeger noſter tulit. Aucta vero ex pondere & tractione contentorum hernioſi tumoris peritonaei tenſio, ob compreſſionem vaſorum haemorrhoidalium internorum ac ſpermaticae venae dextrae nervorumque tenſionem ac irritationem, dolorem in teſticulo dextro longe acutiorem reddidit, viresque corporis animique inſigniter fregit. Refluxus enim ſanguinis a teſticulo dextro per venas ſpermaticas difficilior, hinc in minimis earum ramis per teſticulum disſeminatis major dilatatio; ex reſorptione vero per venas ac lymphatica vaſa lentiori, orta in celluloſa ipſius teſticuli major expanſio, volumen teſticuli augens,

ac nervorum ejus preſſione ac tenſione dolorem in eo enormem ſupra dictum efficiens, ſcirrhi hujus teſticuli metum horrendum intulit, adeo irradicatum ac reliquorum judiciis a vero aberrantibus nutritum atque animo aegri infixum, vt triſtitiam, ex mali ejusmodi incurabilis idea ortam, ad ſummum ſaepe evexerit faſtigium. Immo, rationes meae, a prima inde per litteras data morbi deſcriptione conceptae, ac intuitu ipſo dein confirmatae, longe diverſam diagnoſin cum certitudine medelae illi promittentes, nec non amiciſſimae ſaepe perſuaſiones, vix ſuffecerunt, ad deſtruendam hanc, animum ingrata prognoſi excruciantem, mali ideam. Internis remediis malum ſaepe fruſtra aggredi tentatus, ab his etiam plane deſiit, & non niſi lenia laxantia cum carminativis in uſum vocavit, donec & ſui ipſius in me amore & fiducia & amici ſui in-

timi

timi celeberrimi Medici TISSOT conſilio, meae ſe curae dederit.

§. 3.

Litteris amiciſſimis germanica lingua ad me datis, morbi deſcriptionem hanc, cum ardente voto mei utcunque conſilii, mihi communicavit, atque ut curam ejus in me ſuſciperem, deſideravit. Flagrabat amicum integerrimum revidendi deſiderio animus, mala vero haec, aegrum per tot annos crudeliter discruciantia, dolore ad intima cordis penetralia me affecerunt. Senſi quidem per momentum temporis magnae molis in cura laborem; aſt amicum ex aerumnis hiſce vitae, cuiratione omnino poſſibili, eripiendi animi ardor, omnem mox mihi diſſipavit tam egregium laborem perficiendi metum, obſtaculisque remotis, omnem lapidem ut moverem, animum incitavit. Minime itaque haeſitavi, in reſponſione ad amicas haſce

haſce litteras data, morbum pro hernia omentali declarare, operationis ope curam ſuadere, & ſanationem perfectam mali & morbi hujus amicum excruciantis promittere, pro adminiſtratione vero chirurgicae operationis ſalutarem opem illi commendare celeberrimi noſtri, prudentis ac integerrimi Viri ac Chirurgi Generalis Regii SCHMUCKER, cujus eruditionem ac dexteritatem praeter Regis noſtri Clementiſſimi ipſius confidentiam, innumera in aegrotos merita & feliciſſime aeque ac dexterrime cum judicio ac optimo eventu peractae chirurgicae operationes ac morborum curationes maxime commendabilem reddunt; hujus conſilio, pro amicitia ſua in me, & hoc in caſu uſus, cumque eo de ſtatu morbi collocutus, modum exitumque curationis, operationis chirurgicae ope determinabam, ut aeger noſter fide verbis promiſſisque

meis

meis data, Berolinum ſeſe contulerit, iter in rheda, in qua decumbere poterat, ſatis feliciter Junii elapſi menſe Hannovera huc Berolinum perficiens, apud me in aedibus meis magno meo meorumque gaudio ac ſolatio familiariter degens, id quod precibus ac invitatione per litteras ab illo obtinueram.

§. 4.

Praeſens, examinato malo, judicium antea a me de morbi natura latum, nulla ratione a veritate rei ſive morbi ipſius deflectere, tactu expertus ſum. Omentum integrum fere, aſt ſolum, & id quidem naturali habitu praeditum, unico tantum parvo pinguedinis induratae globulo, in ſuprema ejus prope colon transverſum parte, nucis avellanae magnitudine oneratum, per annulum dilatatum in ſaccum hernioſum & ſcrotum ex abdominis cavitate excidere, digitis meis ſenſi. Repoſito

hoc

hoc omento, duobus digitis inter crura annuli cutem in abdominis cavum repellere, atque digitum in cavum ad longitudinem phalangis ultimae introducere, facillimum erat. Unicum tantum tenue illud filamentum in poſtico & inferiori herniae loco difficulter digitis percipiendum, & aegri ipſius directione ac indicatione inveniendum, preſſione ſua ſenſum doloris intolerabilem, teſticuli compreſſi ad inſtar ad lipothymiam usque excitans, elapſo in ſaccum omento profundius, eo repoſito in abdomen magis ſuperius locatum, lapis ille lydius erat, qui explicationem fere omnem recuſabat. Nervo teſticuli, quorum iter ex abdomine cum vaſculis, ſaepe ad pollicis diſtantiam elongatum a funiculo ſpermatico ac vaſis ejus reliquis obſervatur, dolorem hunc tribuebam, cujus preſſione ad oſſa pubis tendinesque muſculorum tenſos, dolor

lor tum in applicatione faſciae hernialis, tum ex ipſa preſſione filamenti digiti ope facta oriretur. Aſt, ab hac ſententia alienam, in peculiari corporis ſtructura, hujus doloris fundatam rationem fuiſſe, ipſa in operatione autopſia docuit, cujus infra pluribus mentio fiet. Ipſum praeterea hunc teſticulum ſiniſtrum maxime naturalem, nec expanſum, nec durum, in parte infima ſacci hernioſi, & elapſo in ſaccum & repoſito omento ſentiebam, ea tantum cum differentia, ut elapſo omento ſaccoque repleto, teſticulus, dextrorſum in infimo ſacci fine pulſus, teſticulum dextrum e ſitu ſuo naturali dimoveret. Repoſitione dein vero omenti in abdomen facta, teſticulus ſurſum retractus, ſiniſtrum latus occupans, diſtantiae pollicis unius cum dimidio ſub oſſe pubis poſitionem habuit, quam vero diſtantiam breviſſime mutavit; cum omento, ad minimum

mum motum corporis elabente, denuo inferiora ſacci petens. Funiculi ſpermatici vaſa in poſteriori ſacci hernioſi ſuperficie ab annulo abdominis ad teſticulum decurrentia, perfecte naturali habitu gaudebant, ne minima quidem, neque in venis varicoſa diſtentione nec in arteriis praeternaturali dilatatione ullo modo perceptibili, ita ut varicocelen aut cirſocelen ne ſuſpicari quidem, nedum, praeſens malum intuenti mihi aliorum hoc aſſertum pro vero aſſumere, examen morbi ipſum permiſerit [a]). Idem judicium de mali hujus natura, poſt examen prudenter inſtitutum,

[a]) Mirum ſane, tot Medicos atque Chirurgos, in diagnoſi morbi hujus, per tot annos, diametraliter oppoſitam veritati ſententiam ſuſtinuiſſe, ac pro varicocele morbum ſumſiſſe, hinc operationis ope incurabilem uno ore praedixiſſe, ubi ne veſtigium quidem varicocelis aderat. Ipſa ne quidem facta ac feliciſſime in aegro noſtro

ſtitutum, ſupra laudatus Vir celebris SCHMUCKER tulit.

§. 5.

In conſilium vocatis aliis adhuc duobus claris in chirurgicis eximieque eruditis viris, altero Chirurgorum Generali Regio & cohortis tormentariae Chirurgo primario nomine THEDE, tum operationibus ac aegrorum curationibus innumeris, cum prudentia feliciſſime & in exercitu & hic Berolini & Stettini peractis, tum ſcripto utiliſſimo nuper edito celebri ac optime merito; Altero ſene plurimum venerando & ſpectabili viro

noſtro digniſſimo peracta operationis ope cura, perſuadere plures eorum adhucdum non potuit, eos tantum a vero aberraſſe; ſed male certe omnino aberrarunt. Quantum hic corporis ſtructura melius cognita dijudicationi hujus morbi lumen affundere potuiſſet, quae nunquam illa bene inſtructum Medicum hallucinantem relinquit!

viro nomine PROEBISCH, Chirurgo quondam Regio Cohortis Praetoriae, cujus in chirurgicis, per totum a Pruſſia Berolinum usque provinciarum tractum, ex feliciſſimo ſucceſſu multarum prudentia ac dexteritate ſumma ab illo perfectarum chirurgicarum operationum, ac curationum difficilium morborum, inſigne meritumque digniſſimi viri nomen eſt, poſterisque ob tot benefacta ſacrum apud nos manebit. Horum celeberrimorum chirurgorum conſilio, quibus omnibus idem mecum de malo ipſo, cum natura morbi conſentiens judicium erat, faſciae hernialis applicatione fruſtra adhuc tentata, & ob ſupra dicta ſymptomata plane impoſſibili, a digniſſimo aegro ipſo deſiderata operationis chirurgicae ope perfecta mali cura mecum deciſa, ac ſequenti ratione illam inſtituendam eſſe, unanimi conſenſu decretum fuit.

§. 6. Ape-

§. 6.

Aperiendum nempe ſcrotum ſupra ſaccum herniofum, per totam ſuam longitudinem ad ſupremam usque annuli abdominalis partem; ſaccum cute plane liberandum; funiculum ſpermaticum, naturalem quippe, cum teſticulo a ſacco hoc caute ſeparandum; ſaccum ubique liberum aperiendum; omentum, habitu ſuo perfectum, in abdomen reponendum; hoc facto, ſaccum herniofum mox ſub annulo ligatura claudendum, eaque ratione & deſtructioni partium corporis neceſſariarum inutili cavendum, & procidentiae herniofae, poſt operationem curationemque mali perfectam, obviam eundum eſſe. Neque enim naturalis teſticuli ac funiculi ſpermatici habitus ejus reſectionem poſcebat, quamvis difficillimum, ejus ſeparationem, operationis punctum fore, quilibet ſenſerit; neque omen-

ti, naturalis nec adhaerentis ad ſaccum hernioſi pondus ullo modo, tanquam cauſſa recrudeſcentis poſt operationem mali timendum erat, cum ipſum illud, leviſſima quippe pinguedine interſperſa repleta membrana, facile inteſtinum colon ventriculumque in ſitu ſuo ſequatur, ſublataque laxitate annuli abdominalis, portaque hac praeternaturali firmiter occluſa, in ſitum ſuum naturalem ſurſum ac inter inteſtinorum plicas redeat. Accedit, quod ipſe ſitus aegri, poſt operationem perfectam, ſupinus, per plures ſeptimanas neceſſarius, hunc reditum omenti cum inteſtinis in ſitum naturalem adjuvet, ac pinguedinis remediorum ope ac diaeta facta diſſolutio durante cura, omenti jam leve pondus plurimum adhuc imminuat.

§. 7.

His itaque rationibus, modo hoc procedendi ac methodo medendi certo, deter-

determinato, ſanitatis aegri curam, ad feliciorem operationis exitum obtinendum, habui, diſſolvendo nempe obſtructiones, liberum ſanguinis per vaſa circulum ubique reddendo, evacuando primas vias a ſaburra contenta, plethoram vero venae ſectione imminuendo. Ipſe vero aeger, Deo fidisque amicis ſuis, curationem ſuscipientibus confiſus, ipſa ſua animi conſtantia, plurimum felici operationis ſucceſſui addidit, fortemque ſe ac tenacem propoſiti virum & ante operationem & per totum ejus decurſum egit. Omnibus ad operationem neceſſariis rite praeparatis, dies praefixus eſt vigeſimus quartus menſis Iunii, quo, aegro ipſo operationis ope perfectam medelam poſcente ac tempus hoc determinante, fieri illa deberet.

§. 8.

Bono ergo cum Deo matutino tempore ejus diei, in aedibus meis, aſſiſten-

tibus mecum ſupra laudatis eximiae notae viris, & viro in chirurgicis ac anatomicis exercitatiſſimo, nomine SCHMIDT, duobusque alumnis Regiis chirurgicis magnae ſpei, diligentiae, ac cognitionis nomine VOITUS & SCHAEFFER, filioque meo natu maximo diligente medicinae cultore, a viro ſupra laudato SCHMUCKER operatio ſequenti ratione peracta fuit. Aeger ipſe nulla animi debilitate nec timore perculſus, ſupra lectum ſeſe conjecit, duos pedes cum dimidio altum, latum vero duos pedes, culcitra tectum, corioque obtectum. Hoc facto absque ulla adſtantium neceſſaria manuum aut corporis aegri retentione, cutis ſcroti ante depilata, ſcalpello chirurgico per longitudinem ea ratione diſſecta fuit, ut, inciſione prius in medio in plicatam inter digitos cutem facta, ſuper crenato ſive ſulcato ſpecillo, inter cutem ac ſaccum hernio-

ſum

ſum caute per celluloſam introducto, iſta verſus ſuperiora ad annuli abdominis partem ſupremam, inferiora verſus vero ad usque finem ſcroti infimam dilatata fuerit. Aperta hac ratione in tota longitudine ſuper ſaccum hernioſum cute, ſeparatio ſcroti a ſacco hernioſo, diſſectione celluloſae ſaccum hernioſum obvolvente & in ſcroti cavitatem ubique alligante, facta eſt, aegro adeo dolorifica, ut quamcunque fibrillae celluloſae ſeparatim factae diſciſſionem, quamvis nec cultrum nec manum operatoris videre ullo modo potuerit, cum acutiſſimi doloris ſenſu, ſibi ipſi ſemper praeſens, per totam operationem ſenſerit. [b]) Maxime vero difficilis

 haec

b) De celluloſae corporis ſenſibilitate multa diſputata temporibus noſtris fuerunt. In animalibus multoties repetita experimenta, a clariſſimo mihique amiciſſimo SCHOBINGERO Medicinae Doctore Züricenſi celeberrimo facta, nec

haec ſcroti a ſacco hernioſo tenui, omento pleno, celluloſae diſſectionis ope cau-

te

nec non ab Archiatro noſtro ZIMMERMANNO, & inter omnes Primo Illuſtri ac Generoſo Viro ab HALLER, eam inſenſilem eſſe, fere omnes perſuaſerunt. Non equidem cujusvis eſt, in homine certum de hac veritate reddi. Cum vero nulla certior, quam in homine experientia fieri queat, eaque omnia de perceptionibus ac ſenſationibus partium corporis in animalibus inſtituta experimenta aut confirmet aut refutet; ſenſationem hanc in aegro noſtro dolorificam cujusvis fibrillae cellularis ſcroti, immo etiam ejusdem ſverſus annulum ſuperius pinguedine repletae, ſenſibilitatem celluloſae tunicae confirmare, nullum dubium eſt. Ipſe enim aeger noſter absque ulla viſus diſtinctione, quamcunque cultri acutiſſimi ope factam celluloſae diſſectionem, cum ſenſu adeo acuto percepit, ut cum gemitu quamcunque ſectionem fibrae indicaret. Neque momentum temporis, durante hac celluloſae ſeparatione, absque dolore ſatis acuto ipſo ſuo ac certiſſimo teſtimonio peregit. Quodſi

enim

te peragenda ſeparatio fuit. c) Rugoſa enim ſcroti cutis, a frigore & naturali

enim velimus opponere tot nervos diſciſſos fuiſſe, quot fibras ille in ſectione ſenſit, idem illud foret, ac ſi ſenſilem dixerimus ipſam cellulosam, cum illa non niſi a fibrillis nerveis ſuam hanc ſenſilitatem obtinere queat. Sed nervi majores in cute ipſa decurrunt, eique adhaerent, in laxa hac celluloſa ſcroti minime jacent: ergo ipſa celluloſa fibrilla, tum ſcroti ipſius, ubi absque pinguedine illa eſt, tum eadem ſupra ſcrotum prope os pubis pinguedine repleta ſenſiliſſima eſt.

c) Longe difficilior ſacci tenuis hujus hernioſi a peritonaeo ſeparatio ex ſcroti ſacco fuit, quam teſticuli ſcirrhoſi aut ſarcoceles; cujus exemplum quatuor ſeptimanis ante hanc noſtram operationem in milite obſervavi, cui teſticulum cum ſumma dexteritate, ut ſolet, Vir Celeberrimus SCHMUCKER, me adſiſtente, reſecuit, feliciſſimeque curavit. Neque hic aeger, celluloſae ſcroti a teſticulo ſeparationem absque ejulatu ex acutiſſimo dolore ferre poterat, certo celluloſae tunicae ſenſibilitatis indicio.

nervorum criſpatione ex anxietate contracta, adeo coërcet ſaccum herniofum, ut, niſi ſumma cum cura ſeparatio cutis ac celluloſae diſſectio, retracta a ſacco cute fiat, facile mollis incidi ſaccus hernioſus poſſit. Hinc ergo caute & ſenſim celluloſae filamenta nectentia diſſecta, & retracta digitis cute a ſacco hernioſo, magis tenſa fila iſta absque laeſione ſacci ipſius diſciſſa fuerunt, quas omnes cujusvis filamenti diſſectiones, aeger cum acutiſſimo dolore ſenſit. Saccus hernioſus, hac ratione denudatus, mox ex diſciſſi corrugati ſcroti vulnere protuberavit. Reſiſtentia quippe cutis ſcroti ſublata, urgentes muſculi abdominales cum diaphragmate, vi magna omentum in ſaccum depulerunt, ut ſaccus valde turgeret ac extra abdomen deſcenderet, qui antea nimium in abdomen repulſus videbatur. Haemorrhagia ex ſcroti vaſis ſatis erat

parva,

parva, ac praeter ſcrotales arterias cutaneas parvas, aliae ſanguinem vix ſuderunt, quod vero ſpongiis aqua imbutis facile compeſci potuit. Obfuſcans vero, ex venulis arteriolisque cutaneis exſtillans continuo ſanguis, ſacci a ſcroto perfectam ſeparationem retardavit, cum ſpongia illam abluere ſemper oportuerit, ne in tenuem protuberantem ex ſcroto ſaccum inciſio fieret, atque hinc, ut reſectis filis tantum celluloſis is integer ſervetur, omni attentione opus fuerit. Itaque a latere inteтiori & exteriori per totum ambitum ſuum, tum cultro, tum digitis interdum inter cutem & ſcrotum protruſis, difficulter denudato ſacco hernioſo, tandem inferius teſticulus ſacco inhaerens, aſt nulla arte a ſacco ſeparabilis, detectus eſt. Nulla enim alia pars teſticuli viſui ſeſe obtulit, quam rectilineus ejus margo, cui vaſa ſpermatica inſeruntur, deorſum

ac

ac dextrorſum antrorſumque reſpiciens, cum corpus ipſum teſticuli hujus, extra ſaccum, neque nudum neque vaginali tunica obductum conſpici potuerit. Saccus ipſe hernioſus, ſeparata nunc ſcroti cute, ab omento impulſo duplo major, tenue peritonaeum erat, pellucidum, per quod omentum ubique transparebat. Circa ſaccum hunc peritonaei hernioſum, cremaſter muſculus undecunque expanſus erat, quem itaque, cum inter illum ac hernioſum peritonaei ſaccum ſpecillum ſulcatum intruſerim, diſcindi tota ſua longitudine oportebat. Aponeuroſis vero cremaſteris inferius & finem ſacci, & teſticuli marginem rectilineum, cum vaſis ſpermaticis extra ſaccum hernioſum teſticulo inſertis, circumdabat. Aperto hinc cremaſtere cum aponeuroſi ſua, ſaccus peritonaei tenuiſſimus, pellucidus, nudus, transparens oculis ſeſe offerebat. Preſ-

ſim,

ſim, celluloſae tenuioris ope, in parte poſtica ac interna ſacci hernioſi, externe illi funiculus ſpermaticus adhaerebat. In eo ergo nunc cardo rei verſabatur, ut iſte, perfecte naturalis, a nulla vaſorum nec venoſorum varicoſa dilatatione, nec arteriarum ſpermaticarum praeternaturali habitu, nec ductus deferentis vitio laeſus, absque vaſorum ac ductus deferentis laeſione ſepararetur; id quod accurate, cultelli acutiſſimi ope per totam ejus longitudinem peractum fuit; cui operi perficiendo & me ipſum auxiliatrices manus admoviſſe, dicere non erubeſco. Sacco vero nunc hernioſo, ad ſupremam usque extremitatem ſuam ſub annulo abdominis, a funiculo hoc ſpermatico perfecte ſeparato, digitoque inter ſacci hernioſi hanc partem ac funiculum transverſim interpoſito, filum ceratum duplex, ſupra digitum hac ratione a me introductum,

acus

acus curvae ope trajectum eſt, ut ope ejus absque vaſorum ſpermaticorum conſtrictione, ſaccus hernioſus proxime ſub annulo abdominis ligari potuerit.

§. 9.

Hac ratione itaque perfecte ac omni qua fieri poterat praeciſione, abſoluta ſacci hernioſi denudatione, ſaccus ipſe tenuiſſimus ſupra ſpecillum ſulcatum per totam longitudinem ſuam forficis ope apertus eſt. Facillima vero, ob tenuitatem peritonaei, hujus nudi ſacci hernioſi apertura erat, immo vix impediri poterat, quin in ſeparatione vaſorum ſpermaticorum funiculi, hinc inde vulnuscula illi inflicta fuerint. Diſciſſionem vero hujus ſacci aeger plane non ſenſit, minus ſenſilis erat cremaſteris diſſectio, aegerrime vero cum ſummo doloris ſenſu quamcunque tulit celluloſae diſſectionem, ut diſſecta etiam ſupra ſpecillum prope annulum

pau-

pauxilla celluloſa pinguedine repleta, acutiſſimi doloris ſenſum inde habuerit. Diſciſſo nunc per totam ſuam longitudinem in anteriori ſuperficie ſacco hernioſo undique ab adhaeſione ad ſcrotum liberato, omentum fere integrum ſacco hoc contentum reperiebatur, habitu perfecte naturali, absque ulla adhaeſione ad ſaccum peritonaei nec ſupra eundem ad peritonaeum intra annulum abdominis, modica pinguedinis copia hinc inde juxta vaſorum decurſum in tenui celluloſa ſua repletum, nullibi durum, ac non niſi in ſuprema ſua parte, inteſtino colo proxima, pinguedinis induratae parvum glomer [d]) nucis avellanae magnitudinis & figurae continens, quod per integumenta tactu perceptum, vari-

d) Saepius ipſius pinguedinis induratae glomerulis hinc inde obſitum omentum in ſaniſſimis violenta morte exſtinctorum cadaveribus reperi, ut nullum omnino ſanitati perfectae inde damnum inferri, certus ſim.

varicoceles ſuſpicionem pluribus antea moverat, atque hinc judicium illis extorſerat, operationis ope perfectam aegri curationem poſſibilem non fore. Nulla vero omenti nec praeternaturali deſtructione morboſa apparente, eoque nullibi cum ſacco coalito, repoſitioni ejusdem nil omnino obſtabat. Hinc explicato illo & ſublevato ex ſacco, ad repoſitionem ejus perficiendam, in infima ſacci hernioſi extremitate nudum deteximus teſticuli ſiniſtri corpus convexum, nulla vaginali tunica teſticuli cinctum nec involutum, attamen albuginea tunica ſplendida obductum, adhaerente peripheriae marginis rectilinei teſticuli, & epididymiti intra ſaccum prominenti, tunica iſta ſacci hernioſi peritonaei ea ratione, ut vaginalis inſtar ſupra teſticuli corpus reflexa, epididymidem & teſticulum ſplendente tunica ſupra albugineam extenſa obdu-

obduxerit, uti naturalis haec vaginalis tunicae teſticuli proprietas eſſe ſolet. Nudo vero teſticulo huic ſiniſtro, & quidem margini ejus convexo intra ſaccum oblique ſurſum converſo, ope filamenti cylindrici, a vaſculis ſanguiferis rubri, diametri dimidiae lineae ſive viceſimae pollicis partis ſesquipollicem longi, ab omenti ultimo fine deſcendentis, omentum adhaeſit, atque connatum hac ratione cum teſticulo fuit.

§. 10.

Liceat hic ſingularia hujus hernioſi morbi prius indagare, ac pro dignitate rei explicare, antequam finem operationis recenſeam. Et primo quidem ſacci hernioſi ad teſticulum ſupra dicta adhaeſio & in ſuperficiem ejus continuatio; teſticuli vero nudi, albuginea tunica tantum tecti intra ſacci cavitatem ſitus, plane diverſum hunc herniae morbum a reliquis adhuc obſervatis ac ſingularem om-

nino reddunt. In foetu nempe humano maſculino, peritonaeum una cum teſticulo, intra cavum abdominis adhucdum ſito, per annulum abdominis in burſam extra cavum abdominis verſus ſcrotum elongatur, ſacciformem cylindricum proceſſum formans, in cujus infima parte teſticulus ipſe ex abdomine ſenſim deſcendens haeret [e]). Haec peritonaei ex abdomine productio, in infante nato adhuc, lineae & ultra craſſum obtuſum ſtilum admittit, ad teſticulum usque, dum urgetur, pervenientem. Senſim, deſcendente pondere ſuo cum vaſis ſpermaticis elongatis teſticulo in ſcrotum, ſeparatio peritonaei intra annulum haerentis, ab

e) Primus pro dignitate rei hanc ſtructuram doctiſſime, ut ſolet omnia, expoſuit Clariſſimus vir ac Medicus Londinenſis Celeberrimus, Amicus mihi valde carus William HUNTER cum fratre ſuo fratris aemulo Iohn HUNTER in Medical Commentaries Part. I. Chap. IX.

ab illo teſticulum involvente oritur. Ex inferiori hoc peritonaeo vaginalis teſticuli fit, undequaque teſticulum circa epididymidem ambiens, ipſius vero teſticuli ſuperficiei convexae adhaerens; ſuperior vero pars hujus peritonaei, annuli abdominis aperturam ante vaſa ſpermatica, verſus abdominis cavum, inter crura annuli claudit. Deſcendit in hunc peritonaei ſacculum ſaepe liquor rubellus abdominalis in foetu, immo meconio ſimilem mucum interdum in hoc cylindrico ſacco in ſcroto inveni. Saepe etiam, immo ſemper in foetu una cum teſticulo inteſtinulum cum omento hanc aperturam productionis peritonaei per annulum intraret, niſi ſitu magis elongato inteſtinorum foetus, ad breve meſenterium in umbilicali regione revinctorum, nec non omenti ipſius brevitate, natura huic vitio caute caviſſet. Aſt neque ſtructurae hujus

ſacci ſive productionis peritonaei poſt infantilem aetatem permanentis, exempla deſunt. In vivis corporibus, & in utroque quidem latere, in juvene tredecim annorum, teſticulorum hunc ſaccum utrinque continuatum & inteſtino poſt niſus in reſpiratione, aut elevatione ponderum majores, cum ſenſu doloris ac vomitu ſeſe replentem obſervavi. Adplicatae initio faſciae herniales ordinariae, ob teſticulorum compreſſionem ferri non poterant; hinc vero brevioribus ac latioribus pulvillis, ſupra teſticulum, annuli aperturae applicatis, malum aliquot annorum ſpatio ceſſavit, teſticulis ſub annulo ſenſim perfecte in ſcroti ſaccum deſcendentibus. Alius nobilis juvenis aetatis nunc 12 annorum, a prima inde juventute ſua in dextro latere teſticulum intra annulum abdominis gerens, exeuntem eum cum inteſtinuli parte ſaepius habuit. Applicata

antea

antea ab aniculis faſciola lintea, malo nullam oppoſuit reſiſtentiam. In conſilium demum vocatus, ſupra teſticulum ex abdomine in ſcrotum paullum egreſſum, brevi ac latiori ſplenio inſtructam faſciam hernialem elateris ope prementem applicavi, quo facto teſticulus, clauſo poſt duos annos hoc per annulum una elabente ſacco peritonaei inteſtinum continente, in ſcrotum ſolus naturaliter deſcendit. Sed in cadaveribus bis ejusmodi continuationem peritonaei in ſcrotum, teſticulum nudum in ima ſua parte includentem obſervavi, omento ſimul intra ſaccum hunc deſcendente, quorum ſaccorum unum adhuc intra mea praeparata aſſervo. Addere his liceat ſequentem obſervationem, recentiſſime a me hac hyeme in viri robuſti quadragenarii cadavere factam, quae plurimum ad ideam generationis vaginalis tunicae teſticuli ex peritonaeo, atque ipſius ſacci congeniti hernioſi naturalem,

ſive a natura ipſa perfectam curationem confert. In hoc enim, minime hernioſo, aperto ſcroto, ad cremaſteris intra illud contenti habitum ac teſticuli ſitum demonſtrandum, ac diſſecto cremaſtere in anteriori ſua, funiculum ſpermaticum involvente parte, ſaccus unà aperiebatur, in cujus infima parte teſticulus nudus jacebat. Laeviſſimus quippe ac tenuiſſimus vaginalis teſticuli ſaccus, cremaſtere muſculo coërcitus, ab annulo abdominis inde ad teſticulum usque continuo tractu deſcendebat. Hic ſaccus inferius, ubi teſticulum comprehendebat latior, ſuperius prope abdomen, immediate ſub annulo abdominis, anguſtato fine in conoideum acutum apicem terminabatur. Supra annulum & conoideum hunc ſacci vaginalis terminum, intra cavitatem abdominis, ante vaſorum ſpermaticorum in annulum ſeſe demergentium plexum, peritonaei

plica

plica transverſalis, ligamentuli albi inſtar praetenſa erat. Haec plica transverſalis in foetu, ante hiatum productionis peritonaei ad teſticulum in cavitatem abdominis, ſemper adeſt, ligamenti annuli transverſalis interni nomine jure veniens. Eſt quippe duplicatura peritonaei, transverſaliter ante vaſa ſpermatica eorum ſupra exitum ex abdomine producta, retro quam productionis peritonaei ad teſticulum in foetu apertura adeſt, & quae in adulto ante foſſulam ſive veſtigium aperturae hujus, adhuc adeſſe ſolet. Nulla ex peritonaei cavitate in acuminatum vaginalis tunicae infra aunulum abdominis finem apertura, nec communicatio, nec hiatus aderat, ſed retro dictum ligamentulum transverſale peritonaeum ſupra annulum perfecte clauſum erat. Hinc ergo deſcendens ſaccus vaginalis ſuperne anguſtus, inferne circa teſticulum dilata-

 tus,

tus, ab exhalante liquido, uti ſolet, a concretione munitus, ad teſticulum more ſolito, ſuperficies nempe ejus ſive corpus, marginem convexum & epidydymidis partem deſcendentem adhaeſit. Extra hunc ſaccum vaſa ſpermatica cum ductu deferente, in ſuperficie ejus poſtica, deſcenderunt, nullaque intra politum ſaccum nec cellularis tunica, nec vaſorum diſtributio incluſa fuit. Certo itaque indicio, non ex celluloſa dilatata, quae retro & extra ſaccum vaſa ſpermatica comitabatur, ſed ex peritonaeo ipſo formatam fuiſſe hanc vaginalem tunicam teſticuli. Docet itaque haec obſervatio, Imo, vaginalem peritonaei eſſe productionem. Nulla enim corporis membrana peritonaeo naturam ſuam politam, ex vaſorum exhalante liquido ortam, magis ſervat; ipſum peritonaeum membranarum corporis tenuiſſima eſt, ut ipſam fere arachnoideam

me-

medullae ſpinalis tunicam tenuitate ſua ſuperet. Dubitans de hoc aſſerto, omenti ex duplicatura peritonaei conflati tenuitatem ac pelluciditatem conſideret, & facillime de veritate rei convinci poterit. Vaſorum in foetu ſpermaticorum ad teſticulum in foetu tractus brevis quidem, attamen talis adeſt, ut deſcenſui teſticuli ejusque tractui facile absque dilaceratione cedat. Ipſe ergo teſticulus, per annulum abdominis unà cum peritonaeo, iidem involutus deſcendens, pondere ſuo extra annulum libere in ſcrotum pendens, peritonaei tenuiſſimam membranam extendit. Inter crura autem muſculi oblique deſcendentis tendinea, annulum formantia, peritonaeum coërcetur & conſtringitur, retinetur intra anguſtam aperturam, ut itaque tum a teſticuli ipſius tractione, tum ex affrictu moventium ſeſe crurum annuli tendineorum, tenuiſſimae membranae peritonaei

ſeparatio intra annuli aperturam fieri poſſit. Clauditur hinc ſuperius ſupra annulum proceſſus peritonaei in foetu apertura, infra illum autem ſeparata a peritonaeo tenuis membranacea ejus productio ante vaſa ſpermatica ad teſticulum deſcendens, eumque involvens ipſum teſticulum ſequitur, vaginalem tunicam ejus conſtituens, atque peritonaei ex quo orta fuit, naturam perfecte ſervans. Separationem vero ejusmodi membranae peritonaei nullum neque doloris ſenſum neque inflammationem ſequi, omenti ipſius in vivis equidem ac cadaveribus frequentiſſime obviae perforationes, ſatis convincunt, ubi nunquam inflammationis circa foraminula haec veſtigium reperitur. II^do^ ex hac obſervatione elucet, oriri congenitum ſaccum herniosum, ſi ſeparatio haec vaginalis a peritonaeo poſt partum in puero locum non invenerit, ſed habitus foetui

pro-

proprius, productio nempe peritonaei ad teſticulum extra abdomen continuata permanſerit, quorum ſupra mentio facta fuit. Aut III^tio^, uti in hoc caſu vaginalis tunica teſticuli ad annulum usque abdominis ſurſum producta obſervatur, dum poſt pubertatem demum in adulto congenitus hicce hernioſus ſaccus conſtrictione crurum annuli abdominis obturatur atque coaleſcit. Quare, ſi citius quidem attamen non mox poſt partum haec conſtrictio atque ſeparatio ac peritonaei formatio facta fuerit, ad medium tunc funiculum usque ſpermaticum, vaginalis tunica teſticuli continuata obſervatur, quod frequenter in cadaveribus obſervavi. Hae omnes vero obſervationes docent, quantum inter ſe hydrocele differre poſſit, pro natura hujus vaginalis membranae teſticuli, & quantum diagnoſi hydrocelis & ab hernia diſtinctioni, luminis illae

affun-

affundant. Cautiſſime enim contenta herniae examinare oportet, ut ex ſenſu fluctuationis intra herniam, ejusmodi hydrocelen ab hernia diſtinguamus. Quodſi ergo ſecundum has obſervationes, in adulto homine ejusmodi peritonaei elongatus per annulum ex abdomine ſaccus, ut in foetu naturalis eſt, remanſerit, orta vi vel violentia preſſionis abdominis, omentum vel inteſtina facili negotio in eundem deſcendunt, oriturque congenita illa hernia, cujus ex ſtructura foetus ideam primus dedit Venerandus Praeceptor Generoſus ab HALLER in Opusculis ſuis Pathologicis [e]). Idem ergo hic ſtatus in aegro noſtro obtinuit. Hinc omentum poſt colicam flatulentam anno 1766 & choleram anno 1767 aegrum noſtrum infeſtantem, cum inteſtini parte egreſſum, ex abdomine ſibi, violentia conſtrictionis mu-

[e]) Obſervatio XXVIII.

muſculorum abdominis ac preſſionis verſus annulum, viam in ſaccum hernialem peritonaei congenitum patefecit, ut repoſito quamvis inteſtino, omentum magis lubricum ac plicabile, faſcia non cohibitum, in ſacco extra annulum remanſerit.

§. 11.

Ob eundem vero hunc retentionis omenti neglectum, teſticulo, in imo ſacci hernioſi congeniti fine nude poſito, omentum adnaſci potuit; coagulato ex peritonaei hoc ſacco exhalante vapore, & ad teſticuli ſuperficiem omentum ipſum hac ratione revinciente, ut itaque hac ratione teres hicce omenti funiculus cum teſticuli ſubſtantia ſive membrana potius externa ejusdem ſenſili ſenſim connatus fuerit. Senſiliſſimam enim eſſe hanc teſticuli externam ſuperficiem, levis tantum nudi teſticuli adtactus aegro intolerabilis, & preſſioni fortiori teſticuli ſimilia ſymptomata confeſtim produ-

ducens, nec non dolor ex attractione teſticuli ope hujus filamenti praeternaturalis ortus evidenter docuerunt. Hoc enim filamentum illud ipſum fuit, quod externe per ſcrotum compreſſum, tantum aegro dolorem ad lypothymiam usque excitavit, quod pro nervo hanc ob cauſſam compreſſo me habuiſſe, ſupra §. 4. dixi. Hujus filamenti, poſt omenti repoſitionem, a pulvillo faſciae hernialis compreſſio, ejusdem applicationem impoſſibilem, ob ſenſum in teſticulo excitatum reddidit. Hinc diſciſſo hoc filamento, omento vero in abdomen reducto, vulnereque clauſo, nullum a faſcia aegro incommodum nec ingrata ſenſatio remanſit, quamvis funiculus ſpermaticus eadem ratione, ac ante operationem atque curam morbi perfectam, a faſcia compreſſus fuerit. Idem vero hoc filamentum, reducto omento in abdomen, ſecum verſus annu-

lum

lum teſticulum in ſuperiora rapiebat, hinc teſticuli hujus ſiniſtri ſitus, repoſito omento, mox ſub oſſe pubis in ſcroto erat, qui elapſo illo, infimam ſacci hernioſi & ſcroti partem occupaverat. Hinc ſaccus hernioſus poſt repoſitionem breviſſimus, vix, & ob tenuitatem ſuam itidem, tactu diſtinguendus erat. Hinc ſurſum tractum teſticulum pulvillus faſciae comprimebat, unde pariter ejus applicatio ſumme dolorifica & intolerabilis ob dolorem & ſymptomata contuſionis teſticuli ac compreſſionis filamenti connectentis oriebatur.

§. 12.

Haec vero ſupra dicta ſacci congeniti tenuitas ſumma, peritonaeo propria, nec non vaſorum ſpermaticorum perfecte naturalium ad illum tenuis celluloſae ope adhaeſio, tanto majorem requirebat in operatione ipſa attentionem, ne laeſio ſacci, funiculi ſpermatici & teſticuli ipſius fieret,

fieret, ipſamque hinc operationem hanc valde complicatam & difficiliorem & diuturniorem reddiderunt. Finis vero operationis ipſius ſequens fuit.

§. 13.

Diſſecto proxime ad teſticuli cohaeſionem, filamento dicto, omenti repoſitio per annulum abdominis, paullulum in cellulosa externa tantum ſub fibris transverſis ejus ſectione incurvati cultelli nodulo in apice inſtructi ope, ſuper digito in abdomen retro annulum introducti, ſuperiora verſus dilatatum, inſtituta fuit. Explicatum nempe antea omentum, perfecte naturale, nullum repoſitioni ejus obſtaculum oppoſuerat. Aſt ob ejus, (totum quippe exciderat) inſigne volumen, lubricitatem oleoſam, & annuli ipſius ac muſculorum abdominis cum diaphragmate ob dolorem ſeſe conſtringentium reſiſtentiam, ipſum vero inſignem ex preſſione ne-

neceſſaria ortum in annulo dolorem, & difficillima, & ob aegri tormina ac juſtos utique planctus valde anxia erat. Multum vero temporis ac prudentiae requirebat, ne omentum, digitorum introducentium illud preſſione laederetur, ac ne vaſa ſpermatica nimis comprimerentur. Ne vero pars illa omenti aëri extra abdomen expoſita, a frigore aëris pateretur, aqua tepida ſpongiis linteisque excepta, & omentum & teſticulum cum funiculo ſpermatico, continuo fomentavi, ut calore naturali in his partibus, balnei tepidi ope conſervato, circulatio nullum impedimentum in vaſis minoribus inveniat, & ut inflammatio & gangraenoſa obſtructio plane hac methodo averteretur. Ipſam hanc repoſitionem omenti, Vir ſupra laudatus Regius Primarius Chirurgus THEDE abſolvit, ſenſim ſenſimque digitis illud ea ratione per annuli apertu-

ram in abdominis cavum reprimens, ut a ſuprema ejus parte ad inferiorem continuaverit, tandemque difficile hoc opus ex voto bene ſucceſſerit. Quo facto & ab ipſo & a me, digito indice integro per annulum in abdomen immiſſo, plane liberum, nullibi adhaerens ac bene collocatum omentum tangi poterat. Durante vero hac repoſitione, tum ob frigus aëris, cavum abdominis ac inteſtina contenta afficiens, tum ob funiculi ſpermatici intra annulum, & annuli ipſius, & omenti inevitabilem compreſſionem aeger de dolore intolerabili in teſticulo, de ſenſu moleſtiſſimo ac acutiſſimo in inteſtinis, quaſi herniae incarceratae, ac de irritatione ad vomitum ex nervorum ſive plexuum meſaraicorum irritatione, plurimum querebatur, de inſtanti morte nunc plane perſuaſus. Saepius itidem aeger, durante operatione, dolorem ſe ex teſticuli com-

preſ-

preſſione acutiſſimum ſentire eumque ſuſtinere ſe non poſſe dicebat, quamvis plane non attactus teſticulus ipſe eodem tempore fuerit, id quod nervorum teſticuli irritationi omnino tribui debet.

§. 14.

Omento in abdômen reducto, ſaccus hernioſus peritonaei, immediate ſub annuli abdominis hiatu, filo cerato duplici, uti ſupra §. 6. dictum, circa ſacci ſupremam partem circumducto, ligatura ea ratione claudebatur, ut ſupra cylindrum tenuem cerati emplaſtri fila in nodum chirurgicum colligata conſtricta fuerint, ne a fili conſtrictione tenuis ſacci membrana diſcinderetur. Hac ergo ſacci herniosi peritonaei ligatura, ſub annuli apertura facta, peritonaeum perfecte clauſum, eoque cautum fuit, ne inteſtina aut omentum viam ſibi patulam ex abdomine ullo modo invenire poſſent. Retro vero hanc

ſacci ligaturam, liberrima ſpermaticis vaſis nervisque via fuit, quae plane intacta in perfectiſſimo ſtatu ſituque naturali in celluloſa tela ſua poſt ſeparationem ſupra dictam manſerunt.

§. 15.

Hac ligatura ſacci abſoluta, tota operatio haec difficilis, dicta ratione ſesquihorae ſpatio perfecta fuit, quo toto tempore nullum omnino minuti horae ſpatiolum, absque linea in operationis progreſſu perditum fuit. Aeger debilis quidem, doloribus fractus, aſt ſyncope vel lipothymia correptus non fuit, cum tamen tres ante hanc operationem dies, poſt dentis molaris evulſionem ſesquihoram ſyncope laboraverit. Durante operatione, praeter dolores ex ſectione, in femoribus per totam pedis ſiniſtri longitudinem intolerabilis fere dolor illum excruciabat, ut vi maxima articulatio genu

in

in extenſionem teneri debuerit, id quod ſummo aegro in doloribus ſolatio erat, ut preſſione genu remiſſo, mox precibus ejusdem firmam comprehenſionem efflagitaverit.

§. 16.

Sanguinis quantitas inter operationem effuſa parva tantum, vix ſex unciarum fuit. Non enim, niſi initio, ex diſciſſa ſub inciſione cutis ſcroti arteria ſcrotali, ſanguis cum impetu effluxit; cum reliqua, in celluloſae ſeperatione ex vaſculis effuſa quantitas, nullius momenti fuerit. Absterſo itaque omni in vulnere haerente coagulato ſanguine, ac parte ſcroti pendula reſecta, deligatio ſicca facta eſt. Plumaceolis nempe ex linteo carpto factis vulnus integrum repletum & obtectum; concentrice vero convoluta ex plumaceolis confecta turunda, annulo abdominis ſuper ligaturam ſacci hernioſi impoſita,

 huic

huic vero nodulus lintei carpti ſuperimpoſitus fuit, quae omnia ſpleniis, in ſuperiori parte ſupra annulum transverſim, longitudinaliter vero ſcroti vulneri impoſitis tecta, ac faſciae ope, quae ſpica nominatur, firmata atque contenta fuerunt. Aeger hinc, induſio & ſubſtratis linteis calefactis mutatis, ex nuditate & ſenſilitate ac irritatione nervorum frigus univerſale cum colico dolore vehementi ſentiens, lecto ad operationem ſupra dicto modo adaptato, ſiccato ac calefacto impoſitus manſit.

§. 17.

Pulſus, poſt operationem peractam, debilis erat, vires & animi & corporis proſtratae, dolor colicus vehementiſſimus cum diſpoſitione ad vomitum continuabat; nauſea hinc, doloribus confectus aeger, inſigni laborabat, omnemque potum averſabatur, praeſagia mortis potius,

quam

quam vitae ex operatione peracta ſibi fingens.

§. 18.

Obviam nunc, periculis ex irritatione ac conſtrictione partium ac nervorum, ut et ex ſtagnationibus in vaſculis minimis viſcerum abdominis, a frigore aërisque acceſſu nec non compreſſione partium internarum inevitabili oriundis ac metuendis, remediorum ſalutarium ope eundum erat. Ad relaxandas itaque partes conſtrictas, ad dolorum vim imminuendam, diroſque cruciatus colicos leniendos, olei amygdalarum dulcium recenter expreſſi ℥iij, lini olei ℥ij, camphorae ʒj in oleis ſolutae, abdomem totum quovis horae ſpatio tepide inungebatur, copioſe hoc oleo tepido abdominis cuti ſuperfuſo ac leniter manus ope infricato. Hac ratione inuncto abdomini laneus pannus duplex, decocto ex flor. Sambuci ℥jv Chamom.

Roman: ℥iij, Papav. rhoead. Sem. lin. contus. aa ℥ij cum vino Rhenano facto, immerſus, atque expreſſus tepide impoſitus, abdomenque continuo fomentatum die noctuque fuit. Intus vero, eodem ſcopo, leniendi, demulcendi, relaxandi, ſpasmodicasque nervorum conſtrictiones ex dolore ortas tollendi cauſſa, ſumſit quavis hora cochlear ordinarium ſive tres drachmas mixturae factae, ex olei amygdalarum dulcium recenter & ſine igne expreſſi ℥iij Syrupi papaveris albi ℥j Laudani liquidi Sydenhami guttis viginti. Quibus ergo remediis factum eſt, ut aeger, qui in ſtatu colici doloris dicti cum ſudore frigido ac frigore totius corporis, ſtragulis quamvis tectus, per tres horas ab operatione manſerat, epoto una cum dictis remediis per intervalla cyatho, ſex uncias continente, infuſi avenae decorticatae, Elaeoſaccharo Citri edulcorati, nunc ſen-

ſenſim magis quietus evaſerit. Dolor nempe, initio ab umbilico per totam abdominis hypogaſtricam regionem ſaeviens, nunc ſenſim verſus annulum abdominis ſiniſtri lateris vulnerati deſcendit. Hora quarta pomeridiana paullum ſomniare incepit, duarum horarum ſpatium ſomniando tranſigens, incredibile vero ex inunctionibus, fomentationibus & uſu olei interno levamen ſentiens. Pulſus veſperi paullum fortior, celerior, non vero durus evaſit. Nox, iisdem remediis continuatis, cum potu dictae theae avenaceae, ſatis tranquille & feliciter peracta eſt, dolore in abdomine ſemper magis magisque decreſcente, ac tranſpiratione leni cum pulſu molli, magis aequabilem per omnes corporis partes humorum circulum denotante, ſubſecuta. Urina veſperi poſt operationem prius miſſa, naturali paullum coloratior, brevi vero ab emiſſione

one tempore turbida facta, ſedimentum rubellum copioſum in fundo vaſis depoſuit. Ob flatulentias & ſingultum lenem ex irritatione nervorum ſuccedentem, veſperi hora undecima diei operationis, clyſter emolliens, ex ſpeciebus ſupra dictis pro fomentatione, cum aqua coctis, additis olei amygd: ℥iß ac nitri ʒjß adhibitus fuit, ex quo aeger tres parciores evacuationes cum ſummo levamine habuit. Ructus inde ac ſingultus magis magisque imminuebantur, ac dolor nocte nullus, niſi in vulnere mitis, tranquillo ſuper lectum jacente aegro, ſentiebatur.

§. 19.

Nocte itaque a XXIVto ad XXVtum Iunii, ſomno per intervalla tranquillo ſemihorae ſpatio feliciter peracta, aeger mane ſomnolentus adhuc, tranquillus, nec de inſigni dolore conqueſtus fuit, colicus in abdomine dolor plane ceſſavit, pulſus mol-

mollis, aequalis, nec nimium celer, transpiratio bona, urina citrei coloris, ſed brevi poſt miſſionem tempore turbida facta, copioſo ſedimento rubello onuſta erat. Ob ſomnolentiam itaque olei ante dicti amygdalarum dulcium cum quarta parte ſyrupi papaveris albi, omiſſo laudano, omni quadrihorio cochlear exhibitum, ob calorem vero in pulſu majorem, ructus cum ſingultu intervenientes, potionis ſequentis quavis hora duo cochlearia ſumſit: ℞. ▽ae foenic. ℥viij ⊕ depur. ʒj Extract. aurantior. matur. gran. iij. Syrup. flor. Naph. ℥j, inunctione oleoſa camphorata cum fomentationibus dictis vinoſis ſedulo continuatis. Horum remediorum uſu & ſingultus ructusque ceſſarunt & calor cum pulſu agitato imminuti fuerunt, aeger vero cum tranquillitate animi valde contentus diem hunc degit. Situm his diebus ſervaverat

in

in dorſo horizontalem, capite elevato, hinc adjutus ab aſſiſtentibus, & culcitrarum ſubſtratarum ope ſuſtentatus, in latus dextrum paullum converſus fuit, tum ne cutis rubedo inflammatoria atque excoriatio, a ſitu in dorſo continuo, a calore & humiditate fomentationum, & a pondere ipſo corporis cutem verſus oſſa comprimente oriatur; tum ut omentum in hoc latus, ab annulo ſiniſtri lateris retrorſum in cavum abdominis in ſitum naturalem retrocedere poſſit. Clyſtere denuo leniente hoc die expurgatum & intus fomentatum fuit corpus, potum theae avenaceae cum illo ▽^{ae} ſelteranae interpoſito permutavit, jusculum vero carneum adhuc abhorruit. Dies haec hinc optime peracta, veſperi vero tranſpiratio leniſſima cum urina critica ſedimentum deponente, corpus plurimum levavit, ut itaque utraeque hae excretiones omne in ſanguinem

re-

regreſſum humorum acre ex corpore ſalutariter eliminaverit.

§. 20.

Noctem a XXV ad XXVI^tum tranquille cum ſomno minus interrupto ſatis quieto tranſegit aeger, cum pulſu molli nec nimis celeri, tranſpiratione vero bona ac valde naturali, qua aeger plurimum ſublevatus, absque ſenſibili dolore decubuit. Dolor colicus nunc nullus amplius, niſi a flatulentiis in inteſtinis ſentiebatur, qui tamen flatus a natura ipſa facilius expellebantur; neque ullum a frictione abdominis in inunctione olei dolorificum ſenſum, ut in initio habuit, neque a converſione corporis in latus dolor illi in abdomine obortus eſt, ſive ab aegro ipſo ſive ab aſſiſtentibus iſta facta fuerit, neque abdominis tenſio, neque intumeſcentia praeternaturalis ullo in loco adfuit. Die vero hoc XXVI^to Iunii prima deli-

gatio

gatio vulneris facta eſt, valde, aegro noſtro ſenſiliſſimo, dolorifica, quamvis apparatus lintei carpti vulneri impoſitus, vino & aqua tepida humectatus & emollitus antea fuerit. Hinc omnis lintei carpti apparatus, ob intolerabilem dolorem, quem paullulum lintei carpti a vulnere ſaucio detracti aegro civerat, auferri non potuit, ſed relicto illo, quod firmiter ſanguinis ac glutinis ſeroſi ope vulneri adhaeſit, [f]) plumaceolis, unguento, ex balſami Arcaei rec, ℥ij olei vero amygdalarum dulc. rec. & ſine igne expreſſi

℥ß

[f]) Non equidem, imprimis in ſenſilioribus ſubjectis, ac ubi ſanguinis extravaſatio in vulnere magna non fuit, ſemper neceſſarium eſt, vulnus cum aegri nimio cruciatu ab omni impoſito apparatu lintei carpti liberare; nimis enim patitur aeger ac doloribus conficitur, ſanguinem denuo fundunt vaſa fibraeque lacerantur, ac naturae ad ſanationem vires, dilaceratione fibrillarum ac vaſorum franguntur, cum ſeri effuſi ex vaſculis ope, facile omnia cum ſuppuratione ſecedant.

℥ß compoſito, illitis, tota vulneris ſuperficies obtegebatur. Dolor poſt hanc deligationem valde modicus, tantum in nudis vulneris locis per duas horas ſenſilis. Dies hic, inunctionibus ac fomentationibus iisdemque remediis ante dictis applicatis, hilari cum vultu aegri peractus eſt. Hauſit aliquot cyathos juſculi gallinacei cum herbis recentibus cocti, clyſterem vero emollientem cum tam bono effectu ſumſit, ut copioſior illi ex illo alvus, ac unquam ante in ſtatu naturali ante operationem fuerit. Summum inde levamen, nec ullum in abdomine nec annulo abdominis dolorem ſenſit. Pulſus mollis, parum febrilis, aequalis, urina citrea naturalis erat, dolore tantum capitis aeger, ex nimia confabulatione ac animi attentione laboravit, qui vero emulſione ex ſeminis papaveris albi ℥j ▽ae flor. Naphae ℥vi Camphorae ℈j in ſpleniis fronti applicata brevi

brevi ceſſavit, aegerque noctem optime ac quiete tranſegit.

§. 21.

Mane die Iunii XXVIImo deligatio facta eſt ſecunda. Vulneris labia pure albo tecta jam erant, ſed nondum omnis lintei carpti apparatus, ob nimium dolorem ac aegri ſenſilitatem tolli potuit. Annulus jam papillulis carneis obtegi coepit, ac verſus internam abdominis cavitatem depreſſus apparuit; ligatura ſacci peritonaei introrſum verſus annuli aperturam retracta, perfectiſſima adhuc ſubſiſtebat, habitus vero vulneris naturalis fuit, nec vaſa ſanguinem fuderunt. Abdominis dolorifica ſenſatio nulla, pulſus bonus, aequalis, parum celer, ac mollis, urina naturalis & copioſa, idem theae avenaceae potus, nutrimentum vero tenue jusculum gallinaceum fuit. Medica-

dicamenta eadem continuata, dolor capitis cum quiete ceſſavit, aeger vero optime ſe pro circumſtantiis habuit.

§. 22.

Nocte quiete transacta, praeter quod in ſomnio perterritus aeger fuerit, febris mane nulla fere fuit. Vigeſimo octavo ergo Iunii vulnus in partibus ſuis nudis pus praebuit album, ſpiſſum; ſub filis vero lintei carpti, illis adhaerentibus omnibus jam a vulneris ſuperficie detractis, ſauciae adhuc vulneris regiones fuerunt: dolor hinc in deligatione ob ſenſilitatem aegri ſatis fortis. Unguento dicto plumaceolis inunctis vulnus integrum tectum, & deligatio ante dicta ratione perfecta fuit. Inunctiones ac fomentationes abdominis continuabantur. Jusculum aeger cum oryza coctum optimo cum appetitu ſorpſit. Poſt urinae miſſionem levis colica flatulenta adfuit, mox vero ab inunctio-

nibus ac remediis ceſſans. Pulſus optimus, non amplius febrilis, aequalis, mollis, ipſe vero aeger animo tranquillo erat. Clyſter veſperi cum optimo effectu datus.

§. 23.

A XXVIII ad XXIX^mum^ ſomnus fuit optimus. Mane vulnus optime ſuppurans conſpiciebatur, papillulae vero carneae, coloris ex albo rubelli, ubique propullulantes. Annuli cum ſacco hernioſo ligato habitus optimus, introrſum inter crura annuli depreſſus fuit. Annulus hic circulari plumaceolo obtegebatur, totum vero vulnus eadem, ut priſtina die, ratione deligatum fuit. Diem feliciſſime degit, a fomentationibus, quoniam abdominis habitus perfecte naturalis erat, ceſſatum eſt, oleoſae inunctiones vero camphoratae, ad reſolutionem & aequabilem humorum circuitum, ter de die continuatae

atae fuerunt. Pulſus abſque febrili agitatione omnesque functiones corporis valde naturales obſervatae ſunt.

§. 24.

Hinc a XXIXno ad XXXmam Iunii nox optima, ac matutino tempore deligatione facta, annuli & ſacci peritonaei deligati habitus optimus fuit. Vulnus pure ſaniſſimo tectum, ac copioſo, ita ut omnis apparatus pure madefactus fuerit. Carnes novae nunc naturaliter excreverunt, teſticulus ſiniſter cum funiculo ſuo ſpermatico tectus adeo jam papillulis fuit, ut nudus neque ille neque funiculus apparuerit. Sacci hernioſi pars, funiculo ſpermatico ad haerens, albae, putridae, filamentoſae ac ſpongioſae carnis inſtar ſeparari coepit, & ſub fungi albi ſpecie, reliquis papillulis vulneris adhaerens, ſenſim abſque ulla ſenſatione reſectus eſt, reliqua pars ejus

unguenti ſuppurantis ope emollita, ex ſe ipſo ſeparata decidit. Optime diem degit, remediis vero ſupra dictis, oleo nempe ac mixtura, quibus adhuc interne uſus fuerat aeger, nunc omiſſis: ob puris magnam quantitatem, pulſum vero tranquillum, mollem ac debilem, ad roboranda vaſa ſequens potio in uſum vocata eſt: ℞. Cortic. peruviani optimi ſubtiliſſime pulveriſati ℥ß. Aquae foeniculi ℥viij. Digeſt. per bihor. & colat. expreſſae, adde Syrupi flor. Naph. ℥j, cujus omni bihorio unam unciam cepit. Veſperi vero hora ſexta & decima pulverem reſolventem ſumſit ex ſalis polychreſti granis quindecim, nitri puri granis decem, Elaeoſacchari citri granis octo & radicis ari praeparatae granis quatuor. Quorum remediorum uſu & vires redditae, & vulneris vaſcula ac fibrillae roboratae, pulveris vero uſu viſcida & obſtructa in abdo-

domine reſoluta, alvi vero conſtipationes minus tenaces ac frequentes factae fuerunt. Bene hinc aeger ſe habuit, juſculum carneum cum oryza ſummo cum appetitu deglutivit, & ex omni parte in feliciſſimo convaleſcentiae ſtatu vixit.

§. 25.

Nocte itidem a XXXmo Iunii ad primam Iulii optime peracta, mane ex clyſteris uſu ex herbis dictis cum ſaponis Hiſpanici ac nitri ana ℥ij compoſiti, tam copioſum in injectione effectum habuit, ut vix ſex, immo plurium dierum ſpatio, in ſtatu prioris ante operationem ſanitatis, tantum evacuaverit.

§. 26.

Docet hic clyſteris cum reſolventibus pulveribus ac roborante medicamento conjunctus effectus, multa excrementa in inteſtino colo, ab omento antea deorſum verſus ſaccum herinoſum tracto, ob plicas

ejus ſive flexionem primam & ſecundam in hypochondriis inſigniter auctas, remanſiſſe, idem vero colon poſt operationem peractam, ex ſitu corporis reclinato, & tractu omenti deorſum verſus nunc ceſſante, parte ſua transverſali, cum omento in naturalem ſitum ſuperiora verſus ſeſe repoſuiſſe. Actio enim muſculorum abdominis, diaphragmatis adſcenſus in thoracem, ob viſcerum in ſitu corporis horizontali preſſionem ſurſum ſeſe reducentis; ventriculi ipſius deorſum ab omento & colo transverſo tracti, in ſitum ſuum naturalem ſurſum redeuntis retractio; cellulоſae vero meſocoli ejusque laminarum in naturalem brevitatem reſtitutio: omnia haec inquam huic naturali coli inteſtini ſitui magis favebant. Hinc itaque via, ab initio inde coli, adſcendente nempe ejus parte, in transverſalem, & ex hac per plicam ſecundam ad partem ejus deſcen-

ſcendentem ac inteſtinum rectum, liberiori reddita, excrementa, ſtimulo inferius clyſteris ope facto, ex craſſis perfecte evacuari potuerunt. Quare aeger ante operationem factam, ſitu craſſi adhuc perverſo, tribus fere ſeptimanis vix unicam ſedem naturalem habuit, & parcam tantum ſcybalorum quantitatem una vice, & id cum difficultate quidem egerere potuit. Unde tam anxia illi ex repletione a cibis ſenſatio; purgantium difficilis effectus; ingrata tractus verſus inferiora continua ſenſatio a deſcenſu coli excrementis onerati orta; nauſea ex ventriculi colon ſequentis praeternaturali tenſione; ad corpus hinc in perpendiculari ac erecto ſitu tenendum invincibilis reſiſtentia originem ſuam duxerunt: uti neque compreſſionem in ſcribendo ante operationem ferre poterat. Exemplum difficilis effectus purgantium, & cauſae

hujus difficultatis aeger ante operationem in ſe expertus eſt. Sumtis nempe duodecim drachmis ſalis ſedlicenſis, unicam tantum copioſiſſimam evacuationem poſt plures elapſas horas ex hoc purgante habuit, ea cum mali mutatione, ut ex hac convulſiva quaſi inteſtini evacuatione, omentum ac hernia per aliquot horae minuta plane in abdomen redierint, aegerque liber ab omni cruciatu mali, & hernia veluti curatus, tempuſculum hoc degerit; donec tandem omnia priſtinum ac triſtem infelicem herniae ſtatum recuperaverint. Ipſa vero haec momentanea ex purgante orta mutatio docet, actionem ac contractionem coli convulſivam in fibris ſuis muſcularibus, ex irritatione ſalis purgantis ortam, transverſalem ejus partem ſurſum rapuiſſe, unde omento colon inſecuto, omnis per breve tempus hernioſus tumor evanuit, neque rediiſſet in pri-

ſti-

ſtinum mali ſtatum, niſi adhaeſio omenti ad teſticulum, illud ſenſim per dilatatum ab hernia annulum deſcendere coëgiſſet.

§. 27.

Omni vero nunc poſt operationem feliciter peractam, tum colico dolore, tum ſenſatione abdominis ingrata ceſſante, nullo ſymptomate inflammationis nec in pulſu nec in ſenſatione aegri perceptibili; abdomine, tum ratione figurae quam intumeſcentiae ſuae, naturaliſſimo habitu gaudente: facile ac certo apparet, nullum plane omentum, neque a deſcenſu ſuo & ſitu durante hernia extra abdomen, neque ab expoſitione ſua nuda aëri per horam dimidiam fere, quo tempore repoſitionis balneatum extra abdomen fuit, neque repoſitione ſua per annulum conſtrictum nec compreſſione ejusdem inevitabili, neque aliud ullum viſcus, damnum ex operatione tuliſſe. Utilitas itaque

ſumma repoſitionis omenti, ſub his conditionibus ac circumſtantiis mali hernioſi evidenter elucet. Neque enim pondus omenti, verſus annulum operatione peracta prementis, metuendum. Parva quippe eſt omenti moles ad ponderis menſuram redacta, eaque, pinguedinis reſolutione, magis magisque durante cura ex victu tenui ac remediis idoneis imminuitur; facile illud ductum ventriculi, coli ac diaphragmatis ſequitur, brevi tempore ex ſitu aegri per plures hebdomadas in dorſo horizontali in priſtinam ſedem ſuam naturalem redit, lubricum quippe ac facillime mobile, coërcetur facile hinc a muſculis abdominalibus, atque in plicas inteſtinorum ſeſe immergens, firmum ac immutabilem locum ac ſitum recuperat. Brevi vero circulum naturalem in vaſis omenti redire, neque laeſionem aut gangraenam omenti tam facile metuen-

tuendam eſſe, ex ipſo operationis hujus ſucceſſu ſatis ſuperque probatur. Hinc ergo ad operationem citius abſolvendam, aut ob metum deſtructionis omenti, nunquam conſuluerim omenti reſectionem, dummodo in naturali ſuo ſtatu, neque adhaerens ſacco hernioſo illud fuerit. Reſectum enim illud impedit, quo minus ſacci hernioſi ligaturam perficere, ejusque cum annulo firmam conſtrictionem atque coalitionem citius, & cum perfecta aegri ſanitate obtinere poſſimus. Hinc nulla in aegro noſtro ex omento majori toto fere elapſo & lente repoſito, ſymptomata; hinc annuli facilior ac brevi tempore aſſecuta plenaria concretio, quae fieri nec perfici potuiſſet, ſi, omento ad facilitandam operationem reſecto, ligaturae omenti filum per aperturam ſacci & annuli ex abdomine pendere, ac libera itaque puri via manere debuiſſet. Immo pus in abdo-

domine tam facile inteſtinorum tunicas acrimonia ſua laedit, ut certe ex reſecti-one majus periculum oriatur, quam ex repoſitione integri omenti & illaeſi dam-num, cujus veritatem haec operatio ipſa, nullis ſtipata ſymptomatibus, ſatis ſuper-que evincit. Verum hac digreſſione facta, ad aegri noſtri progreſſus redeam.

§. 28.

Primo itaque Iulii menſis die, qui ſeptimus ab operatione fuit, poſt alvi evacuationem dictam copioſam, cariſſimo aegro noſtro hilari, apparatu deligationis vulneris ſublevato, ligatura ſacci her-nioſi omenti a ſe ipſo ſeparata ſeceſſit, ac plane clauſus nunc ſaccus, annuli apertura carneis fibris coalita & tuber-culis carneis plane obtecta apparuit. Vul-nus integrum valde naturalis habitus erat, & ſuperne imprimis, in loco annuli &

liga-

ligaturae ſacci depreſſum verſus abdominis cavitatem fuit, ut nulla itaque in cavo ipſo abdominis verſus hunc locum preſſio partium ſeſe manifeſtaverit, perfectae conſtrictionis ac coalitionis ſacci hernioſi ſignum.

§. 29.

Sunt, qui ſacci immo annuli ſcarificationem, ad facilitandam ejus concretionem firmandamque annuli reſiſtentiam ſuadent, ut tanto copioſior ſit fibrarum ex liquido de ſaucia ſuperficie vulnerata annuli copioſius ſtillante regeneratio. Forte haec ſacci hernioſi ſcarificatio in iſto caſu locum habere poſſet, ubi calloſis ſacci hernioſi parietibus, illis hac ratione circulationem naturalem, in hernia incarcerata ac inveterata reddendi ratio foret. Verum enim vero ſi peritonaei productio extra abdomen, tenuem ejusmodi, qualis in aegro noſtro obtinuit, ſtructuram

ram ſacci hernioſi praebet, non video qua ratione ſcarificatio ſacci hernioſi locum habere poſſet. Ipſum equidem exhalans ex peritonaei vaſis gelatinoſae naturae liquidum, inſpiſſatione ſua ad conglutinandum hunc ligatura conſtrictum ſaccum omnino ſufficit, ac firmiſſime ejus circumferentiam internam in unam continuam membranam peritonaei conſolidat. Annuli autem abdominis crura ſcarificare, idea eſt, quae omni fundamento ac utilitate caret. Intercedit enim inter crura tendinea muſculi abdominis oblique deſcendentis, (quae ſola cum transverſalibus fibris nectentibus annulum conſtituunt), & aperturam ejus in hernia praeternaturalem, ipſe ſaccus peritonaei cum multa celluloſa; ut itaque crura ipſa ſcarificare, niſi profunda vulnuſcula inutiliter infligere velimus, vix poſſibile ſit. Quodſi vero tendinea iſta

cru-

crura ſcarificando inciderimus, ex tendi-dinearum harum partium vaſculis angu-ſtiſſimis magnam liquidi regenerantis quantitatem expectare non debemus, quin potius inflammationis, ac in leviſſimo abdominis motu, ex tenſione crurum horum tendineorum inflammatorum, dira doloris ſymptomata timenda forent. Ultimo denique, neque ad conſolidationem annuli, ejusdem ſcarificatio facere quid poteſt, cum crura ejus a ſe invicem per elapſa abdominis contenta divulſa atque ſejuncta, repoſitis hiſce partibus, & ſublata hinc ſeparationis eorum cauſſa, facile ad ſe invicem iterum accedant, annuli orificium praeternaturaliter dilatatum anguſtantia.

§. 30.

Revertor ad curationis hiſtoriam. Deligatio vulneris ſeptimo hoc die in eo mutata eſt, ut loco faſciae ſpica dictae, qua

qua ad hunc usque diem firmata fuerant ſplenia cum plumaceolis, ſimpliciori faſcia duplex T dicta apparatus deligationis contentus fuerit, quae faſcia anterius in pube latior, burſam ſimul conſtituit, ſcrotum vulneratum cum apparatu ſuſtentantem. Unguento vero dicto obductae plumaceolae vulnus ſolito modo ubique obtexerunt. Medicamentorum eorundem roborantium ac reſolventium uſum aeger continuavit. Nutrimenta vero tenuia fuerunt thea avenacea elaeoſaccharo citri edulcorata, juſculum tenue gallinaceum herbis recentibus ſalutiferum magis redditum, ac oryza cum jure carnis cocta; appetitu enim aeger valde naturali gaudere, ciboſque appetere incepit. Pulſus fuit naturalis, febris nulla, dolor nullus, niſi aliquot a deligatione horis in ipſo vulnere durans, animus hilaris, ſomnus quietus.

§. 31.

§. 31.

Poſt optimam hinc noctem, ſecundo menſis Iulii die, in deligatione vulneris matutino tempore peracta, papillae carneae ſub annulo & circa illum copioſe nunc propullulantes, & funiculum ſpermaticum cum teſticulo plane obtegentes apparuerunt. Labia ſive ora vulneris ſcroti, jam albidi coloris & naturaliter ad ſanationem introrſum verſus ſe convergentia fuerunt. Immo tanta in vulnere vaſorum ac celluloſae novae protruſio facta eſt, ut multis in locis vulneris, ad cohibendam papillarum luxuriantium protruſionem nimiam, plumaceolis ex linteo carpto ſiccis obtegere ac reprimere ſpongioſam laxamque carnis excreſcentiam oportuerit. Pus nunc album, blandum ac naturale vulnus ubique obduxerat, neque albicans ſacci peritonaei emortua ac incraſſata pars viſui ſeſe amplius

offerebat. In loco ubi teſticulus ſiniſter poſitus erat, papillarum carnearum elevatio inſignior adſuit, tractum funiculi ſpermatici eadem ratione ſequens. Certo indicio, vaſorum teſticuli & funiculi ſpermatici majorem quantitatem, lymphae copiam uberiorem ad celluloſae ac vaſorum ſtructuram formandam effudiſſe, ut inde major ibidem papillarum copia breviori temporis ſpatio ac in reliquo vulnere regenerata fuerit. Diem hunc aeger optime degit, cibos valde appetens, ſaniſſimo cum pulſu, urina, ſudore, viribusque animi integerrimis, ut in contemplationibus, lectione ac conſortio cum amicis loquendo vitam nunc valde gratam duxerit. Eadem ratione tertius Iulii bene peractus eſt, vulnere in deligatione, praeter ora ejus, ſiccis plumaceolis ad coërcendas carnes tecto. Alvus jam naturalis, copioſa, absque clyſtere fuit, id

quod

quod actionem ex ſitu naturali craſſorum inteſtinorum perfecte nunc reſtitutam ſatis probavit, cum nunquam ante curationem aegro beneficium hoc tam naturaliter ſucceſſerit.

§. 32.

Nocte a tertio ad quartum Iulii, ſomno quieto octo horarum transacta, pulſus aegro ſaniſſimus valde naturalis fuit. Vulnus, quod initio poſt operationem novem pollices longum, & quatuor in media ſua diſtantia latum fuerat, nunc longitudinis ſex pollicum, latitudinis vero in medio adhuc duorum pollicum erat. In vulnere ſaniſſimo & copioſo pure obtecto, papillae carneae eleganter ubique excreſcebant. Dolor aegro initio in deligatione intolerabilis, nunc modice dolorificus eſſe incepit, vulnere ſiccis plumaceolis tecto. In regione vero annuli, in quo ſacci hernioſi ligati regio firmis at-

que durioribus fibris obducta erat, ſiccae, ex linteo carpto circulariter in ſe convoluto factae plumaceolae carnes continebant, ſuperimpoſitis transverſim ſpleniis quadrangulis, ut introrſum coacta annuli apertura, tanto firmiorem contentis abdominis reſiſtentiam opponeret. Ne vero inflata inteſtina abdominis muſculos in contractione ſua impedirent vulnusque extrorſum tenderent, clyſter ſaponaceus hoc & ſequenti die, cum optimo effectu adhibitus eſt. Riſus, tuſſis, ſternuatio aegro primis ab operatione diebus tantum dolorem excitaverant, ut in ſyncopen fere inde inciderit, omniaque hinc riſum moventia cautiſſime evitare coactus fuerit. Hoc vero & ſequentibus diebus motus hoſce violentos atque concuſſiones muſculorum in ſternutatione, riſu, &c. occurrentes ferre abſque magno dolore potuit. Hac ratione ad octavum usque

Iulii

Iulii vulneris habitus & aegri ſanatio continuavit, eo cum ſucceſſu, ut vix ſesquialterum pollicem latum in medio vulnus ſeptimo Iulii adhuc fuerit. Totum vulnus, dum pus ope lintei carpti abſtergebatur, ſenſiliſſimum attactu ſuo dolorem aegro peracutum excitabat, ut ob ſenſibilitatem ſibi adſtantis opem ad firmiter tenendas manus expetiverit, ſudoreque totum corpus perfuſum habuerit. Cum itaque certum ſit, celluloſam tunicam illam eſſe, cum vaſis nervuliſque elongatam, quae acutiſſimum hunc ſenſum inter abſtergendum ciet: ſequitur omnino, & celluloſam tunicam regeneratam & vaſcula minima corporis ſenſiliſſima eſſe. Minimis vaſculis capillaribus arterioſis & irritabilitatem & ſenſationem ex nervis, nuperiores aliqui inter phyſiologos denegant, idemque de celluloſa teſtantur. Ubique vero, in minimo quam-

 vis

vis puncto, celluloſam hanc in vulnere recenter regeneratam tetigeris, ſenſus ubicunque acutus in ſenſili corpore perſentitur. Hinc ergo patet, omnino cum vaſculis arterioſis elongatis atque cum celluloſis fibris regeneratis, nerveas fibrillas ſimul creſcere, ſenſumque hunc iſtis partibus conciliare, unde & ultimae arteriolae & novae utique celluloſae ex nervis oriunda ſenſibilitas ac irritabilitas probatur.

§. 33.

Nono Iulii vulnus in regione annuli aequale jam ſuperficiei cutis, in ſuprema vero extremitate acuta inciſionis, cicatriſata cuticula jam obduci incepit. Reliqua vulneris loca omnia carne rubra repleta, in media teſticuli ac funiculi ſpermatici tractu elevatiora magis eminentia apparuere. Labia ſive ora vulneris magis magiſque ad ſe invicem accedentia,

ſpati-

ſpatium in medio vix 1¼ pollicis inter ſe reliquerunt. Omnia hinc ſiccis plumaceolis in deligatione tecta & ſpleniis uti antea firmata fuerunt. Aeger ſanitate nunc commode fruens, prima tum vice ab operatione facta, pulli gallinacei aſſati carnem comedit, omnia perfecte digerens, alvo naturali ac copioſa gaudens, certo functionis ac ſitus inteſtinorum cum omento perfecte naturalis ſigno; cum ante operationem haec excretio tarda ac difficilis fuerit. Dolor ac ſenſibilitas teſticuli dextri, ejusque intumeſcentia naturali major, ſupra pluribus expoſita, durante vulneris ſuppuratione & cura, & imprimis alvo tam copioſa ac naturali quotidie ſuccedente, ſenſim nunc diminui ac evaneſcere incepit, ut attactu dolorificus jam non amplius, magno cum aegri ſolatio fuerit. Refluxus enim per vaſa teſticuli venoſa ac haemorrhoidalia, tum

ex repoſitione omenti & inteſtinorum in ſitum naturalem, tum ex circulo ſanguinis per vaſa haemorrhoidalia liberiori naturalis redditus, cauſſam mali abſtulit. Optime hinc ſeſe ſequentibus diebus aeger habuit, vulnere de die in diem magis magisque anguſtato ac labiorum oris ad ſe invicem accedentibus. In media tantum vulneris parte, ubi ſacci peritonaei hernioſi reſecti partes reſiduae, funiculo ſpermatico adhaerentes, ſuppurationis ope ablatae fuerant, profundior macula albicans, itidemque in puncto deligati ſacci prope annulum aderat; quibus locis, plumaceolis unguento digeſtivo inunctis, obtectis, duodecimo Iulii rubellae exſurgentes papillae carneae elegantes ac firmiores apparuerunt, totum vulnus aequabiliter obtegentes.

§. 34.

§. 34.

Decimo tertio Iulii aeger poſt noctem valde quietam optime ſe habuit, vulneris habitus ſaniſſimus, deligatio vero eadem, ac prioribus diebus fuit. Hoc vero die aeger noſter ad labores animi ſolitos redire ſtudens, magna cum difficultate, dorſo in lecto ſupra dicto incumbens, litteras ad amicum ſcripſit. Hinc veſperi longe debilior ac prioribus diebus factus eſt. Debilitatis vero hujus effectus magnum fuit fluidorum, per vulneris aperta vaſa diſpendium, benigna quippe illa ſub puris nomine adeo copioſe transſudaverant, ut plumaceolae ac ſplenia, ad lintea lecti usque, humorum hac juſto copioſiori quantitate madefacta fuerint. Minime ergo mirum erat, vulneratum ejusmodi aegrum ex leviori hoc animi labore, virium diſpendium tam inſigne perſenſiſſe, cum humores ad nutritionem

neceſſarii, per vulnus nimia quantitate ex laxatis vaſculorum oſt iiseffluentes, vires valde imminuant. Docet vero haec experientia, quam neceſſaria ſit ejusmodi vulneratis animi corporisque quies, ad ſanationem tanto facilius obtinendam. Vaſa enim magis fortiora vulneri conſolidando magis idonea ſunt, quies corporis autem impedit, quominus frictione ſaucia ſuperficies ejus fiat, curationem vulneris ob deſtructionem vaſorum minimorum impediens atque protrahens; unde & ipſa rudior vulneris ad ſanguinolentiam usque abſterſio, ejusdem conſolidationi contraria, omni ſtudio evitanda eſt, praeſtatque illi lenis lintei carpti ope vulneri appreſſi, puris ablatio, ut ſeſe pus in lintei hujus carpti interſtitia potius imbibat, quam fortius abſtergendo, ſaucia vulneris ſuperficies abſterſione ejusmodi reddatur. Aeger hinc laſſitudine debilior, attamen ſine

febre

febre fuit, functionibus corporis vitalibus omnibus rite ſeſe habentibus. Hinc decimo quarto die Iulii, ſequente nempe die, poſt optimum ſomnum, vires, cum ſanitate corporis ac quiete animi, longe fuere fortiores.

§. 35.

Decimo nunc quinto Iulii omnibus ſanitatis ſignis partiumque functionibus valde naturalibus atque perfectis, vulnus ob luxuriantes nimis carnes, curationem ac conſolidationem ejusdem impedientes, in parte ejus ſcrotali, lapide infernali leniter affrictum fuit. Hinc dolor initio ortus eſt acutiſſimus, quaſi ſectionis ope cultri, qui poſt horarum aliquot ſpatium quidem leniri incepit; attamen aeger hoc die nervorum irrirationes leves ſenſit, noctem vero quiete tranſegit. Sequenti vero die papillis luxuriantibus orisque vulneris denuo lapide hoc cauſtico fricatis,

tis, dolor inde inſuperabilis exortus eſt. Hunc ſecuta ſunt, frigus extremitatum, pulſus conſtrictio, ſudor frigidus, animi ſenſuumque ſumma irritabilitas, ſpasmus in muſculis maxillae inferioris, vox tremula, lingua & rigida, & voluntati animae minus obtemperans. Status hicce ad horam usque tertiam pomeridianam perduravit, ut aeger veſperi viribus plane deſtitutus, cum pulſu parvo adeo debilis fuerit; ut lecti mutationem, & ab uno in alterum ejus transportationem, absque lipothymia ferre non potuerit. Dies hinc anxie transactus eſt, docetque haec obſervatio, quam neceſſe ſit in ſenſilioribus ſubjectis caute & cum ſumma cura cauſtico hoc medicamento uti; ne conſtrictione minimorum vaſorum, nervorum vero nimia irritatione, ſymptomata ex circulo humorum impedito ac nervorum debilitate oriantur. Difficile

qui-

quidem eſt, luxuriantes vulneris carnes absque hoc remedio compeſcere, atque tardius omnino vulneris conſolidatio ac cicatriſatio procedit, imprimis iſtis in locis, ubi vulneris compreſſio, uti hic in ſcroto, locum non invenit. Attamen cum ſenſile ejusmodi corpus, ad convulſivos usque motus atque conſtrictiones partium internarum funeſtas, irritatione hac redigi poſſit, magis omnino conveniet, a medicamento ejusmodi nervorum ſyſtema laedente abſtinere, ac vulneris conſolidationem protrahere, quam remedium malo pejus applicare. Ex irritatione hac alvus aegro ter copioſa & diarrhoeae ſimilis fuit, noctem vero, dolore ſenſim ad veſperam imminuto quietam egit. Effectus lapidis infernalis in vulnere ipſo optimus fuit; carnes enim luxuriantes depreſſae, vulnus magis aequale & rubellum, ſuppuratio vero optima inde ſecuta eſt. Atta-

men

men ex dictis rationibus, aegro ſimul remedium hoc abhorrente, ab ulteriori ejus applicatione abſtinere ſatius ductum fuit.

§. 36.

Quare ergo decimo octavo Iulii vulnus unguento ex olei amygd. d. rec. & ſine igne expreſſi uncia una, cerae albae virgineae, ceruſſae albae ſubtiliſſime pulveriſatae ana ʒiij, extracti ſaturni Goulardi ℥jß, optime in mortario vitreo tepido invicem tritura ſubactis compoſito, ac plumaceolis inuncto, in deligatione tectum fuit. Hinc nullus dolor, nulla ſenſatio in vulnere ingrata orta, atque aeger diem hunc feliciter degit, quamvis calor atmoſphaerae octoginta octo graduum toto hoc die fuerit. Vires uſu decocti corticis peruviani ſupra dicto, cum pulveribus reſolventibus continuato, optime redierunt. Cuti dorſi, ex decubitu conti-

nuo

nuo in dorſum dolenti, ac rubrae, aqua calcis vivae recens, cum tertia parte extracti ſaturni Goulardiani mixta applicata fuit, cum unguento ante dicto exſiccante; unde dolor, rubor atque excoriatio, brevi ceſſarunt ac ſanata ſunt, cutisque hoc remedio, ad perfectam usque aegri curam in ſtatu ſanitatis conſervata eſt, imprimis cum in latus aeger decumbere plurimum diei tempus nunc potuerit.

§. 37.

Vigeſimo hujus menſis, carnes vulneris luxuriantes magis depreſſae ac tota ſuperficics firmioris habitus fuit. Superne tamen in annuli abdominis regione, ad papillas eminentiores magis exſiccandas, ſolutio lapidis divini granorum decem in uncia una aquae calcis vivae in plumaceolis applicata eſt, unde dolorem aeger acutum ad ſecundam usque horam pomeridianam ſenſit. Aeger his diebus querebatur

tur de difficultate maſticandi cibos, ut panem ac carnem comedere non potuerit, dolore quippe & impotentia ad manducandum impeditus. Senſum hunc ingratum poſtridie ab applicatione lapidis infernalis perceperat, continuatum & quotidie auctum. Debilitas ex nervorum irritatione ac ſpaſmis ſuperiorum capitis partium orta ſymptomatis hujus proxima cauſſa fuerat. Ut itaque ſitus ſupinus in dorſum capite elevato & antrorſum preſſo, motum maxillae in depreſſione difficiliorem ex abbreviatione muſculorum ejus depreſſorum redderet; actione vero omnium muſculorum magis ex irritatione dicta nervorum debilitata, maxillae, actio ad manducandum cibum ſolidiorem ſufficiens non fuerit. Suadebam tamen ante dicti impedimenti cauſſa, ut collocato corpore in latus manducationem perficere tentaret, quo facto

bene

bene illa ſucceſſit, ac ſine difficultate comedit, quod ſupinus flexo capite antea non poterat. Ex his vero apparet irritationis in nervos in ſenſili hoc corpore inſignis effectus. Succeſſus hoc die applicatae ſolutionis lapidis divini, aegro quamvis optime valente, poſtridie fuit, ut ſaucia ſanguine pars ſuperior vulneris prope annulum exſtiterit, reliqua exſiccatione unguento tecta magis conſolidata ac albeſcens. Hinc ſiccis plumaceolis haec ſuperior, inferior vero vulneris pars ſcrotalis, iisdem unguento exſiccante illitis obtecta fuit. Dolorem itaque, niſi in ipſa deligatione, aeger valde modicum ſenſit. Attamen ſenſilitas aegri inſignis ex hoc etiam apparuit, quod clysmate, ad eluendum tantum inteſtinum (alvus quippe pridie libera fuerat), aegro ipſo deſiderante, tanta in inteſtino recto poſt deligationem conſtrictio orta fuerit, ut

 nulla

nulla arte nec ſtudio ſiphonis tubus in inteſtinum hoc introduci, nec clyſter applicari potuerit, aegerque cum indignatione injectionem ejus recuſaverit. Certo itaque indicio, quantum in ſenſili corpore nervorum irritatio quaevis ad internorum viſcerum ſpasmodicas conſtrictiones generandas efficax ſit. Dies bene peractus, praeter difficultatem iſtam in manducatione durantem. Sequenti die XXIII tio totum vulnus exſiccante unguento plumaceolis illito obtectum fuit; ad evacuanda vero acria primarum viarum, obſtructionesque in minimis vaſculis ex lentore circuli ſanguinis ortas reſolvendas, ſalis carolinenſis drachmas duas, jusculo carneo tenuiſſimo ſolutas aeger ſumſit, ex quibus alvus ter, cum optimo ſanitatis uſu laxata fuit. His itaque remediis externis ac internis ita continuatis, labia vulneris magis ſenſim ad ſe acceſſerunt,

ut

ut vulneris latitudo in parte ſcrotali inferiori, ubi tamen maxime labia diſtabant, vix dimidii pollicis fuerit.

§. 38.

Vigeſimo octavo Iulii, ad evacuandam alvum cum reſolutione viſcidorum, nocte tranquille peracta, ſalis polychreſti drachmas duas juſculo carneo ſolutas hauſit. Vulnus ſuperius prope annulum carnibus luxuriantibus magis confertum ac elatius, emplaſtro exſiccante tectum; inferius vero ad mundificandum vulnus, unguentum ex balſami Arcaei partibus tribus, olei amygd. d. recentis parte una, & lapidis divini parte duodecima ad ℥ß unguenti nempe, ſcrupulo uno lapidis hujus terendo intime admixto compoſitum, plumaceolis illitum impoſitum fuit. Sequenti vero die toti vulneri idem unguentum in deligatione applicatum fuit. Hinc dolor, qui priori die lenior, nunc

inſignis ortus eſt, ad conſtrictiones ſpasmodicas & frigus extremorum, cum ſudore frigido exſurgens, aegrumque in hoc ſtatu ad tertiam usque horam pomeridianam detinens. Valde debilis ex hoc dolore, languidus, & de doloribus plurimum conqueſtus, in triſtitiam animi, ob dolores ex cauſticis oriundos, ſanationis vero retardationem ex eorum neglectu, incidit; ex quo tamen poſt ſomnum quietum poſtridie in hilaritatem animi mox rediit. Attamen trigeſimo die, poſt applicationem hujus lapidis divini, vulnus totum ſanie ſanguinolenta tectum undique fuit. Deligatio hinc ſicca cum plumaceolis facta, aegrum absque dolore poſt deligationem degentem, in ſtatum valde tranquillum reſtituit. Omnibus vero functionibus corporis nunc ex voto ſuccedentibus, viribusque internis circulationis valde naturalibus, ne adſtrictione

obſtru-

obſtructiones in minimis meſenterii vaſis orirentur, decocti corticis peruviani uſum ceſſari, loco ejus vero elixirium ſtomachicum ex extracti caſcarillae aquoſi ʒij, ▽ae cinnamomi ſ. v. ℥jv, liquor. min. anod. ʒj, bis de die ad ʒß ſumendum ſubſtitui, conſultum duxi. Hujus uſu flatulentiae in inteſtinis ceſſarunt, digeſtio ciborum perfectior reddita, ſalis vero polychreſti uſu, ad duas drachmas interdum mane exhibito, vel animae rhabarbari ℥ß cum pauculo liquoris mineralis, obſtructionibus & alvi, & vaſorum minimorum inteſtinalium obviam itum eſt.

§. 39.

Aegro dolorem ex uſu unguenti ſiccantis ſupra dicti percipiente, aliud ex Arcaei balſamo cum exſiccantibus pulveribus & balſamo commendatoris mixto, in uſum vocatum eſt; unde vulnus ſecundo Auguſti die purum quidem ac in loco

annuli depreſſum apparuit; attamen in infima vulneris parte, fine nempe ſcroti, ubi compreſſio a ſpleniis locum non invenerat, a pondere vero ipſo humores magis deſcendebant, luxurians celluloſa, albicans, molliſſima, ſanguinem non fundens, ad quartam pollicis partem protuberavit. Ex hac dolor aegro acutiſſimus, motum fere nullum permittens ortus eſt, quippe & ſpleniorum ad hanc partem appreſſio & affrictus, quamvis leniſſimus, in motu ſupra lectum, comprimendo hanc celluloſam mollem, irritationem eximiam, & aegro vix tolerabilem excitavit, ut aeger in hac vulneris parte, deterſione quamvis leniſſima ad pus removendum facta, dolore adeo vehementi excruciaretur, ut ſudor frigidus, cum pulſu, ex conſtrictione arteriarum ſpasmodica, parvo, per cutem ubique eruperit. Cum vero hanc protuberantem molliſſimam

mam ſubſtantiam exſanguem fere ac pallidam, nil niſi fibrarum celluloſarum elongatarum cum vaſculis minimis excretionem eſſe, dubitari non poſſit, facile apparet quam impoſſibile ſit, celluloſae tunicae ſenſilitatem ac irritabilitatem denegare, cum ad tremorem usque totius corporis, ſolo adtactu leniori digiti vel lintei carpti ope, dolor vehementiſſimus ac ſumma irritatio, ex hac celluloſae extra vulnus elongatae adeo parva quantitate orta fuerit. Neque balſamo dicto exſiccante coërceri celluloſa haec ſpongioſa, nec dolor imminui potuit.

§. 40.

Hinc tertio Auguſti vulnus extracti ſaturni Goulardi & aquae calcis vivae recentis partibus aequalibus inter ſe mixtis, penicilli ope in tota ſua ſuperficie humectatum atque illitum fuit; ex quo dolor nullus ſingularis obortus, vulnus vero al-

beſcens, & in ſuperficie ſua momenti tempore, quaſi exſiccatum redditum eſt, ſaucium autem illud ex abſterſione, ſanguinem ex vaſis fundere illico ceſſavit. Ad carnem ſpongioſam, mollem, albeſcentem in parte vulneris infima protuberantem compeſcendam atque exſiccandam, aegro lapidem infernalem nimium abhorrente, quarto Auguſti alumen uſtum ſubtiliſſime pulveriſatum, plumaceolae inſperſum, applicatum fuit. Ex hoc alumine dolor initio igneus, inſigniter urens ortus eſt, arteriarum conſtrictione ſpasmodica & ſudore comitatus, qui per totum diem continuavit, prouti particulae aluminis a ſero effluente ex vulnere, una poſt alteram ſolvebantur. Attamen hic dolor primo die ſatis tolerabilis fuerat. Sequenti die contractio aliqualis ſpongioſae hujus celluloſae luxuriantis in deligatione viſa eſt, margines vul-

ne-

neris in infima hac parte magis ad ſe acceſſerunt, nimium vero adhuc protuberante celluloſa, tum in parte infima hac, tum media vulneris parte, tectum denuo illud aluminis pulvere fuit. Senſus aegro inde longe ac prima vice acutior, ut vix illum perferre prae dolore potuerit, continuo quippe absque intervallo urentem. Quare ſexto deligatio denuo plumaceolis aquae calcis vivae cum extracto ſaturni Goulardi imbutis facta, dolorem nullum movit, ſeptimo ſicca pergrata, octavo alumen uſtum ſuperne prope annulum & in infimo fine vulneri impoſitum, dolorem intolerabilem excitavit, toto die durantem, quem nono denuo ſiccis plumaceolis facta deligatio lenivit. In ſuprema vulneris prope annulum parte, magis magisque ſenſim cicatrice a ſuprema inde extremitate ſua claudi, cuticulaque tegi vulnus incepit.

§. 41.

Cum vero nulla arte ex applicatione dictorum remediorum externorum exſurgens illa in ſcrotali vulneris parte infima laxa, celluloſa ac ſpongioſa caro auferri potuerit, tandem aeger hanc partem ſibi lapide infernali tangi paſſus eſt. Dolorem inde longe minus acutum breviusque durantem ſenſit, ac ex alumine uſto; ut & hoc & ſequenti die eadem ratione hoc lapide inferius vulneri applicato, non niſi per aliquot horas valde modicus dolor duraverit, aegro ipſo fatente, ſe non immenſum neque tantum, ac ex applicatione aluminis uſti ex hoc dolore pati. Abſque dolore nunc lecto inſidere aeger potuit, diminuta iſta laxa in infima ſcroti parte celluloſa, quae frictione ſua doloris nimis moleſti cauſſa fuerat.

§. 42.

Decimo tertio autem Auguſti, praeter infimam vulneris ſpongioſam partem, nunc fere reliquae cutis ſuperficiei aequalem, ſuprema ejus prope annulum extremitate, ubi celluloſae laxae papillulae quaedam protuberabant, leniter tantum ac parciſſime lapide infernali attacta, dolor adeo inſignis & intolerabilis, ex leni hoc affrictu lapidis dicti cauſtici ortus eſt, ut aeger ſe in operatione ipſa tantum dolorem non ſenſiſſe exclamaverit, & ad deſperationem fere & ſummam animi inquietudinem & anxietatem irritatus fuerit, adeo, ut iratus, ne amplius poſt haec lapide infernali vel cauſtico vulnus prope annulum tangeretur efflagitaverit, ſeque potius tres ſeptimanas ultra diutius ſitum in dorſo, ac curae remorationem perduraturum, quam una tantum vice dolorem hunc maxime infernalem ex appli-

catione cauſtici hujus ſuſtenturum. Pulſus ex dolore hoc inſigni contractus, ſudor per totum corpus copioſe & frigide prae anxietate emanans, animus ob retentas iras fractus ac inſigni triſtitia & indignatione collabeſcens. Ex hac ergo, mihi tum ipſi nimium triſti obſervatione, nimis certa demonſtratur veritas, celluloſam regeneratam cum vaſis in vulnere ſenſiliſſimam ac ſumme irritabilem eſſe, cum minime ora vulneris cutanea, ſed papillulae tantum ſpongioſae inter labia exſurgentes, & id quidem caute ac ſubtiliſſime lapide infernali aduſtae fuerint. Sive enim nervi ſint, qui per celluloſam ac cum vaſis elongantur, ſive ipſa celluloſa, docet tamen in omni puncto ſenſilitatem in celluloſa exiſtere. Unde in morbis inflammatoriis viſcerum inſignis ex inflammatione exſurgens dolor & ſymptomata facile explicari poſſunt, ut

in

in praxi ipſa & medica & chirurgica, multa hinc utiliter ad diagnoſin, prognoſin ac morborum curationem concludi & adplicari poſſint. Probat praeterea impoſſibilitatem in corporis ſtructura ipſa exiſtentem, applicandi cum fructu, ad accelerandam vulneris conſolidationem ac curationem, lapidem infernalem aut alia ejusmodi cauſtica ad deſtruendam luxuriantem celluloſam; neque ſemper, cum fructu aegri ac conſervatione totius corporis, *cito* illud in praxi ac morborum ſanatione conjungi poſſe. Crudeles vero interdum, in miſeros, imperitos in arte chirurgos, ejusmodi exemplum cum horrore admonere deberet, ne lamentationibus reſiſtentem ac precantem vilioris conditionis aegrum, nimium & ultra vires diſcruciarent, cum ſaepius gangraena ac vitae pericula inde oriri queant. In arte obſtetricia celluloſae hujus ſenſilitas do-

doloris ideam in ſeparanda placenta exhibet, plurimumque dirigit ad ſubtiliſſimam ejus, lentam cautamque ſeparationem, ne carnificum in hac arte exemplo, miſellulas, abruptione placentae rudiori, inflammationi ac gangraenae aut morti ſubitae ipſi, uti id triſtia exempla ſaepius docent, tradamus. Imprimis cum ex dictis appareat, longe majorem celluloſae eſſe ſenſibilitatem, quo propior illa partibus internis eſt, dolore quippe longe minori ex applicatione cauſtici ad celluloſam ſcroti infimam, quam ad hanc abdomini proximam.

§. 43.

Hinc ergo ſequenti die, ſiccis plumaceolis vulnus optimi habitus, anguſtatum ac firmioribus carnibus repletum, tectum fuit. Alvus ſalis mirabilis uncia una purgata fuit, cum effectu ſalutari. Aeger quoad corporis ſtatum bene ſeſe ex remediorum

uſu

uſu habuit, animum vero ejus adhuc melancholicum ac triſtitia oppreſſum, muſicae uſus ac amicorum conſortium ad hilaritatem revocavit.

§. 44.

Attamen ne ullum quid remedium, celluloſae firmitatem in vulnere concilians, & ad conſolidationem ipſius conferens omitteretur, nocte bene transacta, decimo quinto Auguſti, plumaceolae imbutae liquido, ex aquae Phagaedenicae ℥ij & roſar. ℥j compoſito, vulneri impoſiti fuerunt, in infima vero ejus parte ſcrotali, durior atque calloſior extremitas, lapide infernali paullum affricta, eaque ratione & ſequenti die in deligatione continuatum fuit. Dolorem inde aeger valde modicum ſenſit, vulnus vero introrſum concavum atque depreſſum, oris ſibi invicem valde approximantibus evaſit. Attamen cum decimo ſeptimo Auguſti ex

uſu

uſu aquae hujus phagaedenicae, vulnus valde ſaucium apparuerit, ab eo abſtinendi ſatius ductum, vulnusque plumaceolis ſiccis tectum in tota ſua ſuperficie fuit. Internis medicamentis, ſtomachico nempe elixirio, ad reſolvendas obſtructiones in meſenterio vaſisque minimis infimi abdominis, uſum addidi pilularum gummato ſaponacearum, ex quibus aeger optime ſeſe habuit, quotidie inde, cum rhabarbari paullum inerat, alvo naturaliter & copioſe libera. Ptiſanam vero ex radicibus reſolventibus ac ſanguinem corrigentibus compoſitam ob flatulentias ferre non potuit, toto curationis tempore, aqua avenae decorticatae cum ſucco citri & elaeoſaccharo citri, pro potu ordinario uſus.

§. 45.

Vulnus itaque nunc valde anguſtari coepit, ut decimo nono Auguſti in latiſſima

ma ſua ſcrotali parte, vix trium linearum ſeu decimalium partium pollicis latum fuerit. Ut vero tanto facilius nuda adhuc vulneris pars cuticula obtegeretur, totum illud extracto ſaturni Goulardi cum anatica parte aquae roſarum mixto, & in plumaceolis excepto tectum, infima vero vulneris calloſior ac ſpongioſior extremitas quotidie lapide infernali leviſſime adfricta fuit. Ex applicatione hac extracti, praeter frigus ex humiditate nullus fere dolor, ex cauſtico vero levis ac brevis ingrata ſenſatio, nulla contractio in nervis, praeter quod in applicatione ipſa genu ſiniſtrum paululum tremuerit. Suppuratio vero ab hac applicatione ſaturnina valde imminuta, vulnus ubique albeſcens, pus ſpiſſum, dolor in vulnere de die nullus, aeger motum ſupra lectum in omnes directiones absque omni moleſtia fecit, optimeque ſe-

ſe habuit, animi ac corporis viribus gaudens.

§. 46.

Die vigeſimo primo Auguſti continuatis iisdem remediis, vulnus valde elegans, cuticula pellucente alba ubique tegi viſum eſt, nullaque inter ſedendum, erecto trunco, verſus annulum abdominis ſiniſtrum viſcerum abdominalium moleſta preſſio ſentiebatur. Aqua itaque ſaturnina, methodo ante dicta ad finem usque hujus menſis, vulneri in plumaceolis impoſita; vulneris ſuperior pars in regione annuli abdominis, cuticula tecta atque cicatrice clauſa fuit. Infima vero ejus extremitas ob ſpongioſas carnes excreſcentes & inter ſedendum ex preſſione & adtritu ejus ad culcitram dolentes, interdum lapide infernali adtacta eſt. His ſub circumſtantiis aeger de lecto moveri ſellaeque inſidere incepit, pauciſſimo cum

ſenſu

ſenſu doloris in vulnere ipſo inferius adhuc aperto, & absque ulla ſenſatione ponderis in abdomine verſus annulum prementis, ut potius in regione annuli hujus ſiniſtri abdomen depreſſius ac in dextro fuerit. Inferius tamen, ob laxitatem ſcroti, vulnus aegrius ſanari potuit, cum nulla vis muſcularis, nec preſſio externa, ſuperne ad annulum abdominis applicabilis, in inferiori hac parte labiorum vulneris ad ſe approximationem efficere potuerit, ſed natura ſola, remediis adjuta omnem hanc opem ferre debuerit. Sanitas nunc aegri tantum increvit, ut cum viribus corporis auctis, aeger obeſior ac ante curationem redditus fuerit.

§. 47.

Continuante ſub applicatione aquae ſaturninae vulneris cicatriſatione ac ſanatione, cruſtaque illa, quam cum exhalante lympha, aqua ſaturnina in ſuperficie re-

generatae cuticulae formaverat, nunc caute ſpatulae ope oblata, aeger quartò menſis Septembris prima vice, in ere-ctum ſitum, pedibus inſtando, elevatus e lecto fuit. Jam ante in lecto ſitus, in genubus, ſiniſtro imprimis, rigiditatem quandam cum debilitate junctam aeger ſenſerat. Neque mirandum, cum nervorum & vaſorum in pelvi ad femur deſcendentium preſſio, diminutus hinc in muſculos influxus, eorundem ex defectu motus per plures menſes fibrarum laxitas, atque inanitio, debilitatem hanc ſibi comitem omnino habere debuerint. Accedit, quod irritatio nervorum pedis, tum in operatione, tum in deligationibus vulneris ſingularis, tremorem totius pedis excitans, nervos pedis prae reliquis valde debilitaverit. Affluxum humorum longe ac in reliquas partes minorem, parciorem hinc & fibrarum celluloſarum & muſculoſarum nutritionem,

pe-

pedum macilentior ac reliquarum corporis partium habitus, ad oculum demonſtravit, ipſum vero in extremitates has inferiores ſanguinis ac nutritiorum humorum influxum in naturali corporis ſtatu augens fluidorum pondus, defectu ſuo hanc inanitionem auxit. Hinc quarto Septembris prima vice, ſuſtentatus a duobus adminiſtris, pedibus inſiſtere coepit, ſellae mox impoſitus. Quinto Septembris cum debilitate, tremore, atque dolore genuum inſigni, duobus amicis ſub brachiis ſuſtentatus atque adjutus, in hypocauſto gradi periculum fecit. Haec debilitas vero atque pedum ad portandum corpus inſufficiens firmitas, de die in diem imminuebatur, ut undecimo ejusdem menſis jam ſolus & absque auxilio ambulare, immo per ſcalam in ſuperiores partes aedis adſcendere potuerit.

§. 48.

Non ſine auxilio faſciae idoneae hernialis aeger motus hoſce ſuſcepit. Nulla quidem ſenſatio ponderis prementis verſus annulum aderat, neque ullum ſupererat dubium, firmatam cicatricem retinendis viſceribus abdominis & actioni ac preſſioni diaphragmatis reſiſtendi ſatis ſuperque ſufficientem, aegrumque non palliative ſed perfecte curatum & ſanitati reſtitutum eſſe. Attamen ut quovis modo ſecuritati aegri conſuleretur, faſcia, ex ipſius elateris cinguli, introrſum prope extremitatem ſuam anteriorem inflexi ſtructura, verſus annulum pulvilli mollioris ope leniter & aequabiliter in quolibet corporis motu premens, ſeque abdominis huic parti firmiter opponens, ad annuli cicatricem applicata eſt. Ex hac aeger nullum incommodum ſenſit, eamque cum optimo fructu continuo geſtavit, ſecuri-

tatis

tatis potius quam neceſſitatis cauſa, ut firmior ipſa cicatrix hac preſſione reddatur. Molle, ex linteo tenui duplici goſſypio repletum pulvinar ſive matraciolum inter cutem atque faſciae pulvinar interpoſitum, affrictum, initio moleſtum, impedivit. Duriores vero ac elatere fortiori prementes faſcias, absque laeſione ferre non potuit. Immo experientia edoctus, certus ſum, molliores ac elatere in ipſo cingulo prope pulvillum exiſtente agentes faſcias, reliquis, proprio & laminae pulvilli adaptato vehementi elatere, pulvinar introrſum premente, agentibus, longe anteponendas eſſe, neque enim contuſione ſua laedunt, nec a preſſione aequabili remittunt.

§. 49.

Hac ergo faſcia munitus aeger, decimo quarto Septembris, coelo ſereno, aëre vero valde miti, in hortum prope

aedes meas ab amicis ſuſtentatus & adjutus, prima tunc vice ſeſe contulit, aërem ipſum nunc ſine moleſtia ferens, quem primis diebus vix ſuſtinere potuerat, in hortovero lente obambulans. Ad hunc usque diem ob vulneris deligationem facilius peragendam, & ad vires conſervandas aeger lecto antemeridiano tempore incumbens manſit, & eodem in ſitu prandium coepit. Decimo vero quinto hunc ſitum mutans erecto corpore ſedens, pranſit. Decimo ſexto vulnus integrum perfecte cute obtectum & cicatriſatum fuit. Eoque die prima vice matutino tempore, ſani hominis inſtar ſurgens aeger, atque veſtitus, digniſſimum virum SCHMUCKERUM, obviam illi eundo, ſalutavit, qui operationem ab illo tam ſapienter factam, nunc feliciſſimo curationis fine coronatam vidit. Nullo per totum hoc tempus aeger vino uſus

fuerat,

ſuerat, cujus cyathum prima iterum vice inter prandendum hoc die hauſit. Decimo vero octavo in ſuburbanum vivarium publicum perelegans regiae noſtrae urbis, in rheda poſt curationem primam peregit obambulationem. Initio timens ſuccuſſus ſuper pavimentum incedentis rhedae, aegre paullulum hunc motum tulit, quem ultimo tamen magis adſuetus, cum optimo effectu ſuſtinuit.

§. 50.

Hac itaque ratione aegro noſtro dilectiſſimo ac digniſſimo ex aerumnis morbi hernioſi ac ſymptomatum illum concomitantium, per Dei inſignem gratiam, feliciter erepto, in eo nunc omnis verſabatur perficiendae ſanationis cura, ut obſtructiones a pluribus inde annis in vaſis abdominalibus minimis formatae perfecte reſolverentur, ut partibus corporis omnibus vaſisque relaxatis robur, ac naturalis

humorum circulus, in abdomine inprimis per tot annos irregularis, cum ſymptomatibus haemorrhoidum internarum coecarum auferatur.

§. 51.

Continuaverat hoc ſcopo per plures iam ſeptimanas pilulas gummato - ſaponaceas evacuantes, ex iisque inſignem perceperat effectum in reſtitutione evacuationum naturalium antea irregularium, & in liberiori per vaſa haemorrhoidalia circulo. Digeſtionis vires ex uſu elixirii ſtomachici atque diaetae convenientis, tantum redditae, ut cum appetitu ac ſine moleſtia cibos & comederit & optime digeſſerit. Ut vero humores tenaces quiete corporis in minimis vaſis magis retardati, in fluidiorem mobilioremque maſſam redigerentur, ac robur naturale minimis redderetur, aquarum pyrmontanarum uſum conſului, quarum ſedecim lagenas,

genas, ſeriem interdum ob alia remedia neceſſaria interrumpens, cum ſalutari in vires vaſorum effectu hauſit, continuato cum his aquis & pilularum & elixirii ſtomachici uſu.

§. 52.

Rediit autem per intervalla haemorrhoidalis ille dolor, in teſticulum ſeſe & pedem brachiumque dextrum cum triſtitiae ſenſu extendens. Dolor imprimis dextri, magis ſiniſtro tumidi teſticuli, aegro ideas triſtes reproduxit ac varie animum curis anxit. Preſſio teſticuli fortior, ſuspenſorii ope, durante cura, dolorificum ſenſum in illo excitaverat. Emplaſtrum mercuriale camphoratum ad reſolutionem ſtagnantium in celluloſa humorum applicatum, ob irritationem & cutis ruborem ferre non poterat, dolor quippe hic ab expanſione vaſorum haemorrhoidalium venarumque revehentium teſticuli com-

compreſſarum ortum ſuum trahens, remedium hoc reſpuebat. Motus corporis in rheda ſuper pavimentum, circulationem per vaſa abdominis adjuvans, dolorem hunc brevi temporis ſpatio diſſipavit. Attamen ut vaſa haemorrhoidalia ipſa evacuatione in naturales diametros redigentur, compreſſio vero nervorum ac vaſorum revehentium teſticuli evitetur, ſanguiſugas numero undecim ad ani orificium vigeſimo ſecundo Septembris applicari curavi, quae ſanguinis quantitatem inſignem evacuarunt, vulnusculis inſuper per totum diem ſanguinem copioſe fundentibus; ut plus octodecim unciis ſanguinis aeger hac operatione perdiderit. Optime ſeſe hinc aeger habuit, dolor in teſticulo ac dextro pede remiſit, & poſt motum in rheda ſequenti die plane ceſſavit, apparentibus tertio die ab applicatione ſanguiſugarum varicibus haemorrhoidum coecarum.

§. 53.

§. 53.

Continuato uſu aquarum pyrmontanarum cum reliquis remediis, ac vectione in rheda quotidie repetita, aeger noſter toto hoc menſe optime ſe habuit, dolorem haemorrhoidalem dictum non ſenſit, vires in dies auctae ſunt, ut trigeſimo Septembris prima vice, incertis quamvis gradibus, in platea ſexaginta & ultra paſſus incedere potuerit. Catarrhalis lenis benigna febricula, ex refrigeratione orta, per plures dies aegrum infeſtaverat, hinc virium incrementum nec proportionatum antecedentibus diebus nec numero dierum fuit. Poſt motum ambulatorium in urbe ſexto ſeptimoque menſis Octobris, dolores in pede dextro, ac teſticulo ejusdem lateris, nec non laſſitudinem ſenſit inexprimabilem, ut ſcalam deſcendere prae debilitate absque ſuſtentatione & auxilio aliorum non potuerit. Somno vero qui-

eto

eto nocte transacta, melius ſeſe nono & decimo Octobris habuit, motu corporis vectione in rheda ad circulationem faciliorem ac liberiorem reddendam, cum optimo effectu uſus. Undecimo vero deambulatio, eundo per plures horas ad viſendam bibliothecam ac pinacothecam regiam, inſigniter eum debilitavit. Rediit dolor in teſticulo dextro ac pede ejusdem lateris, hinc decimo tertio menſis Octobris duodecim denuo ſanguiſugae ad anum applicatae fuerunt, minus ſanguinis quam prima vice fundentes. Ardens teſticuli dextri & pedis ejusdem lateris dolor hoc die continuavit, triſtitia animum aegri replevit, nec niſi cum ſomno ceſſavit. Semper enim haec fuit doloris hujus ratio, quod vehemens quamvis, ſomnum tamen non impediverit, ſed ſimul ac aeger lectum intravit, poſt breve tempus, calefacto a ſtragulis corpo-

corpore, dolor omnis ceſſavit, ac ſomno quieto noctem aeger tranſegit. Praeterea vero flatulentia inteſtinorum abdomen expandente, vaſaque comprimente dolor in teſticulo & pede dextro adfuit, qui poſt flatus expulſos aut alvi copioſam evacuationem brevi iterum ceſſavit. Sedendo inter ſcribendum, aegro tenſum abdomen comprimente, dolor teſticuli augebatur, qui motu in rheda, quamvis ſuccuſſus ſuper pavimentum vehementiores fuerint, mox profligatus fuit. Hinc ergo certa fieri poterat concluſio, dolorem in teſticulo hoc dextro ac pede ejusdem lateris, circulationi humorum lentiori in vaſis abdominalibus, tanquam ſequelis morboſi antecedentis aegri ſtatus, quocum per tot annos ante curam hanc conflictatus fuerat, unice deberi. Immo ex omnibus dictis teſticuli hujus dextri ſymptomatibus haemorrhoidalibus, bene

con-

conſideratis elucet, prognoſin iſtam quorundam recentiorum in chirurgicis ſcriptorum, teſticulum nempe oppoſitum lateri hernioſo, ſummopere dolere atque hinc in ſcirrhoſum tumorem ſive ſarcocelen permutari minus firmam eſſe, quam ut pro vera aſſumi queat. Reſtituto enim circulo humorum in vaſis abdominis, eoque libero, & dolor & tumor teſticuli diſſipatur, id quod frequens in praxi mea experientia me abunde docuit, qui damnatos ſaepe aegros ejusmodi, internorum medicamentorum reſolventium ac evacuantium nec non fomentationum ac balneorum uſu, in integram ſanitatem reſtitui.

§. 54.

Adhibitis itaque hoc in aegro noſtro omnibus iis remediis internis ſupra enumeratis, reſolventibus, diluentibus ac roborantibus, balneorum tepidorum uſum

ad-

addidi, ex globulis martialibus cum ſapone veneto compoſitis. Ejusmodi balneo tepido decimo quinto Octobris per horam dimidiam matutino tempore uſus aeger, effectum inde ſenſit incomparabilem. Laſſitudo pedum eodem die veſperi longe minor fuit. Haemorrhoides coecae externae poſtridie ſeſe manifeſtarunt, cum dolore in teſticulo dextro. Uſu vero horum balneorum mane quotidie continuato, inſignem ſenſit in viribus corporis totius & in ſanitate, viſibile fere augmentum, ut alacrius circumire motumque ac labores absque moleſtia ferre potuerit.

§. 55.

Ut vero itineris faciendi periculum nunc faceret, Charlottenburgum, urbem uno milliari Berolino diſtantem, regiae arcis viſendae cauſa in rheda profectus

 eſt.

eſt. Ex hoc parvo quamvis itinere, plurimum laſſatus rediit, immo vix ibidem ſcalas adſcendere prae debilitate potuit, quae tamen debilitas poſt balneum poſtridie ſumptum plane diſparuit, ut bene ſeſe aeger hoc die habuerit.

§. 56.

Ipſum hoc ſanitatis ac virium poſt uſum balneorum, ex voto ſuccedens augmentum, aegrum ante abitum ſuum Berolino, Potsdammum, regiae ſedis urbem, proficiſci, ad contemplanda ibidem miracula artis, Europae totius & naturae invitavit. Optime ac abſque laſſitudine hoc iter ſuſtinuit, ſtupefactus ibidem Majeſtatis Regiae eximio ſplendore & intuitu ac admiratione rerum maxime mirabilium, quas mens una eaque inter humanas cognitione, ſapientia, prudentia ac judicio omnium maxima, in unum quaſi

coelum

coelum regium ordinavit atque congeſſit. Gaudio vero ſupra coelos elatus novaque quaſi vita donatus fuit, cum maximum ſeculi noſtri miraculum, Regem noſtrum nempe ſapientiſſimum coram videndi, admirandi ac venerandi honor illi, conciliatus, atque unici in vita ſua ſibi ſuperſtitis voti compos ſic factus fuerit. Gratia enim atque humanitas Clementiſſimi ac Maximi Regis noſtri toti terrarum orbi cognita, ad ſolium ſuum Regium, Archiatrum noſtrum Brittannicum non ſolum appellavit & admiſit, ſed perterritum ac ſplendore tam immortalis viri primo momento perculſum quaſi animum ejus, benignitate ac dulcedine ſapientiſſimarum adlocutionum ac diſcurſuum adeo ſublevavit ac erexit, ut cum ſumma admiratione, ac prae gaudio ac amore ſubſiliens, coeleſtis Regii ingenii, ac ſummae eruditionis ac ſapientiae Ejus per

 ſeſ-

ſesquihoram fere & teſtis & admirator & venerandus artis ſuae aſclepiadeae diſcipulus fuerit. Hoc unicum in vita ſua felicitati ſuae defuiſſe ſaepius effatus, maximumque ſeſe diem intuitu & admiratione tanti Regis vixiſſe. Perfectiſſimo hinc gaudio repletus & nova quaſi vita inſpiratus, nulla incommoda ex hoc itinere ſenſit, felix & hilaris curſus ſatis amplos peregit, ac Berolinum perfecta ſanitate fruens, nullam debilitatem perſentiens die vigeſimo ſeptimo Octobris rediit. Sanitas haec perfecta, absque ullo incommodo, creſcentibus in dies uſu balneorum continuato viribus, ad finem usque menſis continuavit.

§. 57.

Immo cum primo & ſecundo Novembris ſcribendo ac meditando, absque ullo corporis motu, totum diem egerit, aliud incommodum tamen nullum ſenſit, praeter

ter flatulentias in inteſtinis, ex quibus levis dolor in teſticulo perſentitus fuit, brevi tamen ceſſans; tertio vero, reliquisque ante abitum ſuum diebus, absque ullo veſtigio doloris in teſticulo dextro, adeo perfecta ſanitas amati viri continuavit, ut gratiis deo amicisque ſuis pro auxiliis in illum collocatis, cum animi adfectu abſolutis, diem itineri cum Deo ſuscipiendo octavum hujus menſis Novembris, durum omnino mihi meisque ob abitum perdilecti cariſſimi amici nuntium, praefixerit, quo moeſtus ipſe, Hanoveram cum votis precibusque ad Deum pro conſervatione ſua fervidis, fauſtis ominibus abiit, triſte nobis ſui deſiderium relinquens. — Publice vero profiteor, me digniſſimo huic ac cariſſimo amico, pro ſua in me amicitia, ac benevola grataque leviſſimorum beneficiorum in eum pro viribus collatorum accepta-

tione, immenſum debere; Gratias Deo, pro ſua curationis benedictione ac pro tanti ac tam bene meriti viri dilectiſſimique amici reſtitutione ac conſervatione ex animo agens.

§. 58.

Omnibus itaque ſanitatis perfectionibus ac ſignis poſt curam peractam in unum quaſi collectis, ex deſcriptione hac elucentibus, coronidis loco laudatiſſimi viri ipſius verba gallico ſermone mihi tradita addam, dicentis: „ Ex eo tempore, quo lectum poſt curationem vulneris peractam deſerui, appetitu eximio gaviſus ſum, noctesque omnes, (praeter unicam Potsdammi, quam in exſtaſi quaſi prae gaudio, poſt regium colloquium cum voluptate inſomnem duxi) ſomno dulciſſimo, maxime tranquillo ac perfectiſſimo tranſegi. Fuerunt qui timebant, ne

ne poſt operationem peractam, ſimul ac motu corpus exercerem, colon atque epiploon verſus annulum abdominis ſiniſtrum gravitarent. Hinc larga faſcia tanquam cingulo abdomen circumdare atque firmare, mihi conſuluerunt. Periculum feci geſtandi hujus cinguli, ſed ferre plane non potui, hinc omiſi. Nunquam vero, ad hunc usque diem ullam ne minimam quidem verſus annulum abdominis ſiniſtrum ſenſi preſſionem aut gravitationem, ne in motu quidem ac ſuccuſſibus corporis in rheda ſuper pavimentum longe vehementioribus. Inflato vero ac expanſo abdomine, preſſio inteſtinorum ac viſcerum abdominis ubique aequabilis, eademque ſenſatio in regione annuli abdominis ſiniſtri ac in tota reliqua abdominis parte adeſt. Scribo absque ullo incommodo, nec minimum exinde moleſtiae ſenſum percipio, cum ante

operationem ſcriptio aliquot minutorum absque ſummo doloris & anxietatis ſenſu a me fieri non potuerit, & hanc ob rationem impoſſibilitatem ſaepe in ſe involuerit. Tenſo & expanſo a flatulentiis in ventriculo ac inteſtinis incluſis abdomine, alvoque conſtipata dolorem in teſticulo dextro ſentio, in pedem dextrum ad antibrachium ejusdem lateris usque ſeſe extendentem, cum ſenſu triſtitiae conjunctum. His vero flatulentiis diſſipatis aut abſentibus, alvoque naturaliter libera, nil plane doloris ſupra deſcripti perſentio, mente fruor hilari atque vivaci, & animam meam energia praeditam atque gaudentem nunc iterum percipio, qua per plures praecedentes annos omnino carueram. Satis laudare effectum balneorum excellentem, ac reliquorum remediorum non poſſum &c.

§. 59.

Ex his ergo aegri noſtri ipſiſſimis translatis verbis intelligitur, optima nunc ſanitate illum frui, ad conſervandam vero illam, motum corporis equitatione aut vectione in rheda, victum digeſtione facilem, nec flatulentias nec obſtructiones generantem, medicamentorum vero reſolventium leniter evacuantium, ac roborantium internorum ac externorum, balneorum nempe ſaponaceo - martialium, uſum & in poſterum utiliſſimum fore. Neque enim toto illo curationis tempore, quod atrox nigerrima invidia, calamitatum amatrix, Hannoverae ſparſerat, ullo tabis aut phthyſeos leviſſimo ſymptomate laboravit. Neque, quod rumor, aſylum ignorantiae proditae quaerens, divulgaverat, incurvatus in anteriora poſt peractam ſanationem incedit, ſed erecto corpore procerus corporis pulcherrima forma gau-

det. Neque ſcirrho laborat in dextri lateris teſticulo, quem minus cauta aliorum prognoſis digniſſimo viro antea praedixerat; neque cum ulla ullius nobilis ac neceſſariae ad perfectam corporis conſtitutionem ac ſanitatem partis reſectione curatio facta eſt, quod, cum impoſſibilitate curationis per operationem chirurgicam, ob varicocelen falſo ſuppoſitam, plures medici & chirurgi Hannoverae, fatum aegri huc properantis maligne lugentes contenderant; Neque ergo, prouti id prognoſis ac opinio quorundam medicorum falſe tulerat, Hannoveram incuratus a nobis remiſſus eſt; neque, quod poſt operationem feliciſſime peractam invidioſi vitam ac ſanitatem aegro noſtro digniſſimo invidentes, divulgaverant, operatio facta iniqua, inutilis ac infructuoſa fuit, ſed perfecte, non palliative a morbo ſuo curatus eſt, ac diu vitam longaevam cum

opti-

optima ſanitate per dei gratiam conſervabit. Neque vitam excoriatione & gangraena ex ſitu horizontali poſt operationem finivit, qua ſpe animum indigni quidam mortales mulſerant, ſed facillime huic malo, praeter ſpem & cognitionem forte illius, qui ejusmodi mendacia ſparſerat, obviam remediis itum eſt, neque ullus unquam hujus mali timor nos hic agitavit. Neque hypochondriacorum inſtar malum ſibi imaginatus eſt, quam cum gravitate vultus in ſe dictam accuſationem cum indignatione optimus amicus noſter ipſe ex ore alterius medici audivit ac aegre ſuſtinuit. Sed nimium ex diro ſuo morbo perpeſſus eſt, ac multa omnino ante curationem tulit; ad nos ſpe curae fretus pervenit, in perfectiſſimam vero dein ſanitatem reſtitutus ſalvusque Regi ſuo, ſocietati humanae, amicis,

 ac

ac orbi litterarum, digniſſimus terrae noſtrae civis redditus eſt.

§. 60.

Poſſet forte in curatione dubium moveri, quare frigida balnea in hoc caſu neglecta poſt ſanationem vulneris perfectam fuerint? Aſt ſi dicere verum ex copioſa praxi licet, non ſemper exſpectatum balneis frigidis, nimium forſan receptis, & inconſulte ſaepius applicatis, effectum reſpondiſſe expertus ſum. Senſiliora corpora, eaque & obſtructionibus viſcerum vaſorumque abdominis laborantia, nec non illa infantum, balnea haec frigida minus bene neque cum fructu ferunt. Ex concuſſione ſolidorum, nervorum nimia irritatione, minimorum vero vaſculorum externorum ſubita compreſſione, ſymptomata, ſaepius ſanitati valde

dam-

damnoſa, oriuntur. Repulſo verſus interiora humorum gurgite, vaſa diſtenduntur, viſcera obruta ſanguine atque humoribus obſtruuntur, nervorum criſpationes in convulſivos motus terminantur, inflammatorii interni morbi generantur, ac arthritici mali ex refrigerio ſubito orta labes totum corpus debilitat, nervos denique, repulſum in ſanguinem tranſpirabile acre fluidum irritat, maſſam ſanguinis corrumpit ac putridorum ſaepe morborum fomes fit. Hinc toties ex frigidorum balneorum inconſulto uſu morbos ejusmodi ortos, curationem vix admittentes obſervavi; alios vero aegros uſu balneorum mineralium calidorum Aquisgranenſium, Carolinenſium, aliorumque remediorum per plures annos continuato, difficillime ad ſanitatem reductos. Plurimos e contrario nervorum debilitate laborantes, paralyticos, infar-

ctum

ctum & laxitatem viſcerum abdominalium patientes, infantes rachiticos, feminas prolapſu uteri aut inteſtini recti infeſtatas, haemorrhoidarios & colicis haemorrhoidalibus cum teſticuli inflatione ac dolorifica expanſione inde orta excruciatos, convulſivis immo epilepticis motibus ex ſenſibilitate nervorum & irritabilitate eorundem nimia cum obſtructionibus in minimis affectos, balneorum tepidorum ſaponaceo - martialium uſu curavi, cum frigidis balneis antea incaſſum mala haec adgreſſa fuerint. Hinc ergo in ſenſiliſſimo hoc aegro noſtro, cui ex aquae frigidae applicatione ad teſticulum mox dolores ſupra dicti exoriebantur acerbiſſimi, balneorum tepidorum ſaponaceo-martialium uſum longe magis efficaciorem duxi, ad reſolvenda obſtructa in abdomime laxasque partes roborandas

quam

quam eorundem frigide applicatorum. Neque effectus ſpem fefellit. Ex quocunque enim balneo agilior, ac perfectiori ſanitate praeditus exiit, idque adeo evidenter, ut ante balnei uſum laſſus, genuum ac totius corporis viribus fractus, intra balneum poſt aliquot minuta horae inſigne ſolamen ac virium reſtaurationem, ipſiusque cerebri ac nervorum functiones longe fortiores & ad labores, animi facultates longe expeditiores ſenſerit; ſaepius balneum intrans de capitis ad ſcribendum atque cogitandum debilitate ac indiſpoſitione querens, quam balnei uſus confeſtim diſſipaverat. Certo itaque, corporis totius, nervorum atque cerebri ipſius roboris ad actiones ac functiones corporis animique aucti indicio.

§. 61.

Uſum vero balneorum ipſum, reſolventibus, evacuantibus ac diluentibus remediis demum poſtpoſui, ut circulatione intra abdomen liberiori reddita, applicatio balnei tanto ſecurior, ac ad obtinendum in vaſis roborandis minimis & circulationis humorum per vaſcula externa perfecta reſtitutione, tanto efficacior eſſe poſſit. Saepius enim obſervavi, balneorum uſum, ante circulum humorum in internis liberiorem, aut conſtrictione aut relaxatione vaſorum contrarium effectum edidiſſe, unde tumor abdominis, immo ipſa aſcites originem ſuam duxit.

§. 62.

Remediorum externe applicatorum uſum quod attinet, ſupra jam ſatis ſuperque evictum fuit, quam caute in irritantium cauſticorum remediorum applica-

tione

tione agendum ſit, ne damnum toti corporis internae ex nervis dependenti bonae diſpoſitioni inferatur; attamen laude omnino effectus in conſolidando vulnere extracti ſaturni Goulardiani conſiderari meretur. Neque enim reſorptionis ejus per minima vaſcula vulneris in ſanguinis maſſam, metus uſu ejus externo nos prohibere debet, cum interne quidem in ventriculum cum fluidis ingurgitatus venenatus ejus in corpus effectus eſſe temporis diuturnitate ſoleat, aſt nulla inde in nervorum irritatione mutatio, ab externa illius applicatione perſentiatur. Conſtringit absque ullo doloris ſenſu vaſorum extrema oscula, ſibi ipſi viam in ſanguinem hac ratione praecludens, atque hinc irritationis nervorum effectum, qui reſorptionem ſequi poſſet, illud ipſum impediens.

diens. Quare ad vulnera conſolidanda illud commendare jure omnino licet, cum absque dolore, ad cicatricem cuticula firmandam, plurimum conferat, reliquisque remediis adſtringentibus, irritatione dolorem cientibus, ac eroſione vaſorum minimorum ſaucium vulnus reddentibus, longe anteponendum ſit.

§. 63.

Quod per litteras amiciſſimas, unicum, poſt abitum tam dilecti amici, nimis durae mihi abſentiae ſolatium, expertus ſum, laetus addo: Iter Hannoveram, quae urbs triginta quatuor milliarium germanicorum intervallo Berolino diſtat, tempore autumnali frigido, quatuor diebus, absque ullo, ne leviſſimi quidem incommodi ſenſu, per vias maxime ſalebroſas in rheda vectus, perfecit. Hi-

Hilaris, obeſior longe ac ante operationem, vultu, juvenile robur indicante, animo ſereno, familiae, amicis ac patronis fautoribusque ſuis redditus, omnium admirationem in ſe traxit. Obſtupuerunt & prae gaudio exſiluerunt amici, inexpectatam, & incredibilem mutationem corporis animique adeo feliciſſimam intuentes, Deoque mecum de conſervatione ac reſtitutione perfecta digniſſimi viri gratias egerunt. Ipſe vero, absque ullo incommodi ſenſu, ad negotia ſua laboresque generi humano tam ſalutares, contentus revertit, eisque adhuc cum optima ſanitate, mei memor, fungitur. Immo, quod lubens teſtatur in litteris ſuis amicus, animi ac temperamenti per triennium ſub morbi aerumnis quaſi ſepulti reviviſcentiam mirificam poſt curationem ac reſtitutam ſibi ſanitatem,

prae-

praeſtantiſſimus ac ingenioſiſſimus vir in ſe ſentit. Ingenii vires illi nunc ſunt longe acutiores, imaginatio ac perceptiones vividiores, affectus vero hinc vehementiores, animum ejus, viribus imaginationis auctis, iniquitatum magis magisque impatientem reddentes; ut itaque cum corporis viribus illae animi una redierint.

1016
1779
.37